

DISPUTATIO ORDINARIA  
 DE  
 NECESSITATE  
 BONORUM OPERUM;  
 Opposita Novem prio-  
 ribus Capitibus lib. 4. de Justificatione  
 Roberti Bellarmini;

*Et publici exercitij gratiâ proposita in  
 inclytâ Academiâ VViteber-  
 gensi;*

PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO

Doctore, Professore, Pastore ac Super-  
 intendente;

RESPONDENTE

M. GALLO ZEÆMANNO

Hornbacensi Palatine

*Habebitur, Adjuvante Spiritu Sancto, ad d. 24.  
 April. horis 8 loco solitis.*

VVITTEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.

II. diss. A  
 3, 46

II. A. 143 (46.)

22.

~~II. A. 143 (46.)~~



SERENISSIMO ATQUE RELIGIO-  
SISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

PHILIPPO LUDOVICO,

COMITI PALATINO RHENI,  
TUTORI ET ELECTORALIS PALA-  
TINATUS ADMINISTRATORI, SACRIQ;  
ROMANI IMPERII IN PARTIBUS RHE-  
NI, SUEVIAE JURISQUE FRANCICI  
VICARIO, BAVARIAE &c. DUCI,  
VELDENTIAE, SPONHEIMII &c.  
COMITI &c.

DOMINO ET NUTRITIO SUO  
CLEMENTISSIMO,

Sacram hanc Disputationem  
debita subjectione & humili-  
tate.

*Inscribit*

M. Gallus Zeæman,  
Alumnus.



# DE NECESSITATE BONORUM OPERUM

Contra Bellarmini capita 9. lib. 4. de Justif.

## THESIS I.

**E**rt animus, ea, quæ Jesuitarum Cardinalis Bellarminus de Bonis operibus disseruit, sub disputationis incudem vocare: quod ut ad nominis divini gloriam, veritatis cœlestis illustrationem, & Ecclesiæ salutem vergat, faxit omnis boni author ac largitor, Pater ille luminum, per Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

### II.

Distribuit autem Jesuita ipse totum hunc tractatum in quæstiones quatuor; quarum una de necessitate; altera de veritate; tertia de merito; quarta de perfectione sit. bonorum operum: *ibid.* lib. 4. de Justificat. in præfat.

### III.

Nos in præsentia primam duntaxat Quæstionem excutiemus, quæ est de Necessitate bonorum operum. Ubi ne à janua aberremus, termini prius exponendi sunt: qualem hinc Necessitatem, quæ Bona opera intelligamus.

### IV.

Necessitas non saltem apud Philosophos, sed & in Scriptura suas *Necessitas* habet species. Philosophorum de Necessitate doctrina petatur ex Aristotele *lib. 1. de part. animal. & lib. 5. Metaph. c. 5.* nos hinc Scripturam duntaxat de hac voce consulamus, quantum quidem ad nostrum institutum sufficere videbitur.

### V.

In Scriptura duæ potissimum sunt significationes hujus vocabuli. Primum enim meminit ea Necessitatis simplicis seu absolutæ, quæ & necessitas coactionis & consequentis appellatur: quo sensu accipi-

rum hæc vox 2. Cor. 9, 7. *Vnusquisq; (benefaciat) prout destinavit in corde suo: non ex tristitia, aut ex necessitate.* Ubi rectè conjunguntur tristitia & necessitas: *Violentum enim necessarium dicitur, quare etiam triste: Omnis namq; necessaria res tristis est & vis necessitas quadam est,* inquit Philosophus *libr. 5. Metaph. cap. 5.*

#### VI.

Altera species Necessitatis est consequentiæ, seu ἐξ ὑποθέσεως, quæ est earum rerum, quæ naturâ sua quidem liberæ sunt ac contingentes, sed, ratione cohærentis alicujus antecedentis, necessario sequuntur, quemadmodum mors & morbi necessario sequuntur peccatum, & hæreses ac scandala necessario sequuntur malitiam Satanæ & corruptionem hominum, qui Satanæ inserviunt. *Matt. 18, 7. 1. Cor. 11, 19.*

#### VII.

Et hæc Necessitas varios habet modos, prout antecedentia variant. *Aut* enim necessaria res est, respectu ordinis à DEO constituti, ita translato sacerdotio necesse est legis translationem fieri *Heb. 7, 12.* *Aut* respectu mandati & volûntatis divinæ, quemadmodum Paulo necessitas evangelisandi incubuit, ad hoc enim vocatus erat *1. Cor. 9, 16.* *Aut* respectu antecedentium gravissimarum causarum, quemadmodum Paulus necessarium putavit longiore frui vitæ usurâ, propter Ecclesiam *Phil. 1, 24.*

#### IX.

Prima species Necessitatis simpliciter opponitur Libertati: inferret enim coactionem: posterior non simpliciter opponitur, sed subalternatur Libertati: est enim rerum in sese liberarum, quæ naturâ se utrolibet modo haberent, nisi antecedens aliquid necessitatem inferret.

#### X.

Cùm igitur de Bonorum operum Necessitate disputamus, nequaquam intelligimus Necessitatem consequentis seu coactionis: 1. talem enim necessitatem Scriptura expressè rejicit, quando de bonis operibus agit *2. Cor. 9, 7. non ex tristitia, aut necessitate.* 2. Quia Deus à renatis non coactum, sed spontaneum cultum requirit *Ps. 110, 3.* 3. quia sunt Spiritus Sancti opera, ubi autem Spiritus est, ibi libertas *2. Cor. 3, 17.* 4. Quia cum gaudio ac delectatione fiunt *Rom. 7, 22. Ecclis. 35, 21.*

X. Sed

X.

Sed intelligimus Necessitatem consequentiae. Sequuntur enim ad mandatum Dei Ezech. 20, 19. Iohan. 13, 34. sequuntur ad electionem Eph. 1, 3. sequuntur ad regenerationem Eph. 4, 22. Tit. 3. sequuntur ad vocationem nostram 1. Thes. 4, 7. Sunt ergo necessaria bona opera, hoc est, debita, quia divinitus mandata; electis, justificatis, vocatis & sanctificatis digna. XI.

Bona Opera.

Porro, quidnam per Bona opera intelligendum sit, paucis explicandum est: ubi ante omnia, non quid nobis bonum videatur, sed quid Deo in verbo suo gratum & acceptum sit, videndum est, juxta illud Apostoli: *probate, quae sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta Rom. 12, 2.*

XII.

Describuntur autem in Verbo opera verè Bona, secundum omnes causas. *Ratione causae efficientis* oportet bona opera fieri à Renatis, in quibus (ut Augustinus loquitur libr. de spir. & lit, cap. 13.) *quod lex operum minanda imperat, hoc lex fidei credendo impetrat.*

XIII.

*Ratione causae materialis* oportet esse opera à DEO mandata in lege, quae perfectissima norma est bonorum operum. Ideò enim Deus ea preparavit, ut in ijs ambularem Eph. 2, 10: & ideo legem doceri voluit in Ecclesia, ut haberemus sufficientissimum thesaurum earum rerum, quibus DEUS colitur. Quò nos magna cum solennitate remisit Dominus his verbis: *Non faciat quisquam, quod in oculis suis rectum videtur: sed quidquid ego praecepero vobis, hoc observabitis, ut faciatis; nec addas ad illud quidquam, nec minuas quicquam ab eo. Deut. cap. 12, 8, 32.*

XIV.

*Ratione causae formalis* oportet opera verè bona ex fide profecta esse. Fides enim est forma bonorum, quae facit, ut promptè & cum delectatione fiant ex caritate & corde novo. Idcirco summa mandati vocatur caritas ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta 1. Tim. 1, 5.

XX.

*Ratione causae finalis* fiunt bona opera non proprii commodi aut gloriolae causa, sed ad gloriam Dei, & Ecclesiae proximiq; commodum, juxta illud: *Omnia ad gloriam Dei facite; & nemo quod suum est, querat, sed quod alterius 1. Cor. 10, 24. 31. Phil. 2, 4.*

▲ 3

XVI. Ius

XVI

Ita describuntur Bona Opera in Scriptura: unde liquet, hoc tam præclaro nomine non venire opera gentilium; quæ licet quoad substantiam facti satis bona sint, quia ad dictamen rectæ rationis facta, non tamen formaliter bona sunt, sita ut DEO placere possint. Neque enim persona DEO placet, neque fiunt ad normam legis divinæ, neque ex fide, neque ad fines legitimos. Ad bonum autem opus non sufficit, ut aliquid boni fiat, sed & ut benè fiat.

XVII

Liquet etiam inde, opera Pharisaica non esse verè bona opera, quales sunt ἰσραηλιτικαὶ ἔργα à Christo rejectæ Matth. 15, 9. quarum Papatus Romanus plenus est. Deficiunt enim ibi omnes causæ. Etiamsi persona renata sit, non tamen agit ea ex instinctu Spiritus sancti; sed proprio motu, quam intentionem bonam vocant: non agit juxta præscriptum verbi divini, à quo tamen recedere in cultu divino meritò nobis religio esse debet: non agit ex fide: fides enim ne quidem latum unguem à verbo discedit: non agit ob finem à DEO ordinatum, sed ex operibus istis facit meritum, in Verbo Dei damnatum.

XVIII

Sunt ergò Bona opera, quæ à renatis fiunt ex fide, Spiritu Sancto movente & regenerante voluntatem hominis, juxta mandatum DEI in decalogo præscriptum, ad gloriã DEI proximiq; utilitatem.

*Bona Opera  
quid sint.*

XIX

De his operibus quæstio est, *An sint Necessaria?* quæ quidem quæstio non saltem phræseos est, sed præcipuum momentum religionis Christianæ attingit, & dextrè explicata multorum erroribus ac calumnijs, quibus Ecclesiæ nostræ prægravantur, fores præcludit.

XX

Fuerunt enim statim post Apostolorum tempora monstra quædam hominum in tantum insanix effrenatorum, ut & omnia, quæcunque sunt irreligiosa & impia, potestatem se habere operandi dixerint, & detestandam turpitudinem, indifferenter utendi faminis, docuerint: quemadmodum de Simone Mago, Basilide, Carpocrate retulerunt *Irenæus libr. cap. 23, 24. & Augustinus de heres. ad Quod vult: her. 1.*

XXI, Fuerunt

## XXI.

Fuerunt alij superiori seculo, quos ab errore suo Antinomos vocarunt, qui statuerunt, quæcunque tandem sit hominis vita, quantumvis impura, justificari tamen eum, si modò promissionibus Evangelij credat, quemadmodum errorem ipsorum recitat *Sleidanus lib. 9.* Urgebant in primis libertatem reatorum, unde & ipsa opera eorum libera vocabant non necessaria, eo sensu, quod ad præstanda ea non sint obligati, sed quia renati agantur spiritu DEI, ideò ex inspiratione Spiritus Sancti esse, quicquid unicuique animi impetus suggereret, sive esset extra, sive contra verbum DEI. Quorum hominum vesaniam B. Lutherus suis in scriptis passim refutavit.

## XXII.

Fuerunt denique alij, in alterum latus nimis inclinantes, qui non modò Necessitatem Bonorum operum urgebant contra Antinomos, sed & cum *περὸς τὴν* ista, quasi ad salutem sint necessaria, qui error in primis in Formula Christianæ concordie castigatus reperitur artic. 4.

## XXIII.

Eundem errorem non saltem errant hodie Pontificij, eumque Bellarminus, ex Scriptura, ex Patribus, ex ratione, defendere conatur: verum etiam non dubitant pro sua impudentia veterum hæreticorum blasphemias, de *ἀνάγκη* quin & de prohibitione bonorum operum nostris Ecclesijs imputare.

## XXIV.

In quibus omnibus operæ pretium non modò est, sed & ipsa necessitas flagitat, ut veritatem doctrinæ cœlestis etiam in hoc capite tueamur, & calumnias ab Ecclesijs nostris pro virili propulsemus: quòd tribus capitibus expeditum dabimus, adjuvante Domini Spiritu. Primum enim ostendemus Necessitatem Bonorum operum ex Scriptura. Deinde, quòd neque phrasis neque res in Ecclesia toleranda sit, si dicatur, Bona opera esse necessaria ad salutem. Deniq; ad argumenta Bellarminiana seorsim respondebimus.

## CAPUT PRIMUM.

*Quod opera bona sint necessaria.*

XXV. Quod

## XXV.

Quod ergo homini renato non sit liberum & indifferens, agere quidquid velit, sed quod ad præstanda ea, quæ in Decalogo præcipiuntur, obligatus, ac proinde opera bona ipsi necessaria sînt, probamus tribus argumentorum classibus; quarum una DEUM, altera ipsos renatos, tertia proximum respicit.

## XXVI.

In prima classe occurrit *seria Dei voluntas ac mandatum* Ezech. 29. in præceptis meis ambulate & facite ea Johan. 13, 34. mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem 1. Thes. 4, 3. hæc est, voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstinatis a fornicatione, Hinc debitores vocamur, ut non secundum carnem vivamus Rom. 8, 12. & nemini quidquam debemus, quam ut invicem diligamus Rom. 13, 8.

## XXVII.

Requirit hoc ipsum *gloria Dei*, quæ in omnibus nostris actionibus promovenda est, juxta exhortationem Christi Matth. cap. 5, 17. sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona, & glorificent patrem, qui in cælis est: per impia verò studia blasphematur nomen DEI inter gentes Esa. 52, 2. Ezech. 36, 20. Rom. 2, 24.

## XXVIII.

Requirit à nobis *paterna Dei caritas*, qua nos complectitur, & in qua nos suos vult esse imitatores, juxta dicta: Sancti estote, quia & ego sanctus sum Levit. 19, 2. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est Luc. 6, 36. sumus filij Dei, & qui hanc spem habet, in eo, sanctificat se 1. Joh. 3, 2. Secundum eum, qui vocavit vos, sancti estote, sicut filij obedientiæ 1. Petr. 1, 14.

## XXIX.

Requirunt deniq; *omnes articuli symboli Apostolici*. Deus enim creavit nos in operibus bonis, ut in illis ambulemus Eph. 2, 10. Filius Dei mundavit sibi populum sectatorem bonorum operum Tit. 2, 14. Spiritus DEI ducit nos, ut simus filij DEI Rom. 8, 14. idcirco si Spiritu vivimus, etiam spiritu ambulemus, Gal. 5, 25.

## XXX. In



## XXX.

In secunda classe occurrit *Renatorum conditio*, quæ requirit ab ipsis studium bonorum operum. Ideo enim cum Christo sepulti sunt in Baptismo, ut in novitate vitæ ambularent Rom. 6, 4. & hanc ob causam renovatio Spiritus Sancti cum regeneratione conjungitur Tit. 3, 5. & hac ipsa notâ describuntur renati, quod peccatum non faciant 1. Joh. 3, 9. quod liberati à peccato servi sint justitiæ Rom. 6, 18.

## XXXI.

Occurrit ibi etiam *Fides*, proprius renatorum character. Fidei verò character & index est nova obedientia. Nam fides per caritatem est efficax Gal. 5, 6. sine operibus verò mortua est, sicut corpus sine spiritu Iacob. cap. 2, 26. & per mala opera perditur: nam qui repellunt bonam conscientiam, naufragium fidei faciunt 1. Tim. 1, 19. spiritum sanctum contristant Eph. 4, 30. & moriuntur Rom. 8, 13.

## XXXII.

Hinc sunt illæ tam crebrò repetitæ in Scriptura admonitiones ad Renatos, ut dignè ambulent DEO & Evangelio Christi Col. 1, 10. Phil. 1, 27. ut doctrinam Servatoris nostri ornent in omnibus Tit. 2, 10. ut exhibeant membra sua arma justitiæ Rom. 6, 13. ne defraudent fratrem 1. Thessal. 4, 6. ut expurgent vetus fermentum 1. Cor. 5, 7. fugiant Idololatriam. 1. Joh. 5, 21. &c.

## XXXIII.

Hinc etiam tot sunt comminationes pœnarum, factæ ijs, qui veros fructus fidei non ferunt Psal. 89, 32. Matth. 3, 10. Luc. 6, 37. 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 21. & passim alibi: tot etiam promissiones præmiorum factæ obedientibus Legi DEI 1. Tim. 4, 8. 2. Cor. 5, 10. Gal. 7, 9. &c. Quæ omnia frustranea essent, si renati plenam haberent licentiam carnis, ita ut ad bona opera facienda nulla ipsos urgeat necessitas.

## XXXIV.

In tertia demum classe occurrunt *proximi commoda*, quæ in primis juvare decet, non adfectu saltem sed & opere, juxta illud 1. Joh. 3, 18. diligamus non verbo, sed opere & veritate: occurrunt exempla, quibus ipsos ad simile pietatis studium excitare debemus, quem-

B

admodum

admodum D. Petrus mulieres jubet subditas esse, | Viris suis, ut si  
qui non credunt verbo, per ipsarum conversationem lucrifiant  
1. Petr. 3, 1. occurrunt & scandala, quæ in primis vitare debemus, ne  
quis de nobis conqueri possit. Phil. 2. 15. occurrit deniq; maximum  
illud commodum, quod ad nos redundat, dum obloquentibus nobis  
tanquam malefactoribus os obturare possumus, ut confundantur,  
videntes bonam nostram in Christo conservationem 1. Petr. 2. 12,  
3, 16.

### XXXV.

Ex his potissimum fundamentis docent Ecclesie nostræ, bona  
opera esse summè necessaria: & tamen etiam libera, quia ex libertate  
spiritus, non coactè, sed promptè & voluntariè, quin & magna cum  
voluptate atq; gaudio, facta.

### XXXVI.

Responsio  
ad cap. I li.  
4. de justifi-  
cat. Bellar-  
mini.

Novit Bellarminus, hanc esse doctrinam nostrarum Ecclesia-  
rum: Ita enim docere fatetur Augustanam Confessionem, Philip-  
pum, Brentium, Kemnitium, & ipsum etiam Lutherum: & tamen  
ut satisfaciat libidini suæ, & inveteratæ apud Pontificios consuetu-  
dini calumniandi, scribit cap. 1. *Quicquid sit de modis ipsorum loquendi,  
cum excutimur ipsorum principia & pleraq; dicta & scripta Lutheri, videntur  
omnino existimare, posse hominem salvari, etiamsi nulla bona opera faciat,  
nec mandata divina custodiat.*

### XXXVII.

1. Argumē-  
tum Bel-  
larmini.

Neq; hæc saltem ita statuit, sed & argumentis probare cona-  
tur: quorum *primum* petit ex ijs Lutheri verbis, quibus affirmat  
(ut ipse ait) mala opera credenti nihil nocere. Summa argumen-  
ti est.

*Qui affirmat, mala opera credenti nihil nocere; is manifestè docet, bona  
opera tunc posse omitti, ac per hoc non esse necessaria. Ita docet Lutherus;  
Ergo.*

### XXXIIX.

Minorem argumenti probat ex aliquot Lutheri scriptis. 1. In  
libro de libertate Christiana, inquit, ita loquitur: *Bona opera non fa-  
ciunt bonum virum, nec malum mala.* 2. Et paulò post: *Ut infideli nullum  
bonum opus prodest ad salutem & justitiam: sic è diverso nullum malum opus  
facit malum & damnatum, sed sola incredulitas.* 3. In sermone: Sic Deus  
dilexit

dilexit mundum: Ubi fides est, nullum peccatum nocere potest. 4. de captiv. Babylon, cap. de Bapt. Vides, quàm dives sit homo Christianus vel baptisatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas. 5. in cap. 2. ad Galat. Quando sic docetur, fides in Christum justificat quidem, sed simul servari oportet mandata Dei, quia scriptum est, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, ibi statim Christus negatus est, & fides abolita, quia mandatis Dei, sive legi tribuitur, quod est solius Dei, 6. In sermone: Sic Deus dilexit, &c. Ego inquit, dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem si vis per eam venire. Ceterum, qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Iacobi peregrinos, non poterunt penetrare. 7. Et infra. Si veneris, cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioquin non poteris penetrare.

## XXXIX.

Ad hæc omnia primùm in genere tenenda sunt, & altis mentibus infigenda verba Lutheri super cap. 4. Gal. *Responso.* Extra locum justificationis debemus cum Paulo reverenter sentire de lege, & eam summis laudibus evchere, appellare sanctam, iustam, bonam, spiritualem, divinam &c. alia verò ratio est in loco justificationis.

## XL.

Deinde perpendendum est discrimen inter peccata regnantia & non regnantia, quorum illa in non-renatis hæc in renatis, etiam & quibusvis sanctis reperiuntur: cuius distinctionis fundamentum extat Rom, 6, 12. & exemplo Pauli prolixè probatur Rom. 7.

## XLI.

Quando ergò Lutherus de malis operibus hæc & similia scribit, quæ Iesuita allegat, non loquitur in genere de malis operibus, sed quatenus in renatis considerantur, quorum justitia operum in hac vita imperfecta est, quis enim unum dabit, qui bonus sit, & non peccet? prov. 20. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si absq; misericordia discussis eam; inquit Au. ustinus: illa verò imperfectio eis non imputatur; sed tegitur merito Christi, ut propterea ipsorum justificatio nihil detrimenti pati queat.

#### XLII.

In argumento igitur est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Quemadmodum enim non sequitur: Apostolus Paulus scribit: iusto non est lex posita 1. Tim. 1, 9. lex evacuatur 2. Cor. 3, 7. mortui sumus legi Rom. 7. 6. Ergo Paulus docet, legem tunc posse omitti in Ecclesia; & per hoc legis doctrinam non esse necessariam: nam secundum quid evacuata lex est, & iusto non posita, nempe quoad condemnationem; retinenda autem est, & docenda propter obedientiam: Ita etiam non sequitur: Qui docet, mala opera non nocere credenti: Is bona opera tunc omitti posse statuit. Nam 1. sunt fidelium mala opera, hoc est, imbecillitates carnis, quæ conscientiam non vastant. 2. non nocent fidelibus in statu justificationis, reguntur enim iustitia Christi juxta illud Psal. 32, 1. Beati, quorum tecta sunt peccata: nocent autem extra illum statum, quia imperfectionem hominis arguunt, & exercitium fidei impediunt: contra quod impedimentum quotidiana pœnitentia & continuo studio pietatis luctandum est.

#### XLIII.

Ita Lutherus scribit in præfat. in libr. vet. testam. *Accedente Christo, cessa: tum quoq; Decalogus. Non quod præstari amplius à nobis non debeat, sed quod officium & ministerium Moysi cesset.* Eodem modo hic etiam dicere licet, *accedente Christo, cessant tum quoq; mala opera, non quod vitari à nobis non debeant, sed quia officium Moysi cessat, hoc est, non accusant, non condemnant nos amplius coram DEO.* Nulla enim est condemnatio in his, qui sunt in Christo Iesu Rom. 8, 1. cum tamen peccatum in eis sit Rom. 6, 12. 7, 17. &c.

#### XLIV.

Aliàs serio statuimus, neminem regenerari, ut accipiat privilegium turpitudinis: scimus enim peccata vastantia conscientiam, cum fide ac regeneratione stare non posse: idcirco qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt: propter hæc enim venit ira Dei super filios incredulitatis.

#### XLV.

Quod autem in specie attinet dicta ex Lutheri scriptis allegata, sunt ea pleraq; ex ejusmodi libris exscripta, quorum linguam Bellarminus non intellexit, ideoq; ab ore interpretis pendere ipsum oportuit.

oportuit. Et quanquam truncatim ea excerpserit, ita ut non inspe-  
cto integro contextu, aut non considerata integra doctrina Lutheri  
de bonis operibus, facile decipere possint Lectorem: tamen nihil  
hic absurdi, omnia ad sententiam Spiritus Sancti dicta fuisse, pius  
lector ex sequentibus animadvertet.

XLVI.

Cum scribit, bona opera non facere bonum Virum, nec mala  
malum, loquitur de bono viro non civiliter sumto, sed spirituali-  
ter seu Theologicè, hoc est, non pro ut coram mundi, sed coram  
Dei iudicio consideratur. In mundo enim studium virtutis utiq;  
facit bonum virum: sed in iudicio Dei aliter comparatum est. Ibi  
opera cõstituta fide in Christum ne quidem unius assis sunt: oculi  
enim ejus respiciunt fidem. Jerem. 5.

*Quomodo  
mala opera  
non faciunt  
malum vi-  
rum, nec  
bona bonum.*

XLVII.

Fides igitur, ut est causa formalis bonorum operum ita & bo-  
ni viri. Nam qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt Gal. 3.  
Ideò ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio Rom. 4.  
Quam ob causam fide dicuntur purificari corda nostra, non aliis  
operibus.

XLIIII.

Hinc de Abele scriptum est, ipsum non placuisse Deo propter  
sacrificium; sed sacrificium propter Abelem: fide enim potio-  
rem hostiam obtulit, quam Cain Hebr. 11. 4. idcirco respexit Deus Abe-  
lem prius, deinde & sacrificium ejus Genes. 4. 4.

XLIX.

Ita Paulus bonorum operum plenus, quippe qui secundum  
justitiam, quæ in lege est, sine querela conversatus Phil. 3, 6. non  
tamen audeat se inde bonum virum nominare coram Deo; sed con-  
trarium potius asserit 1. Cor. 4; 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in bono  
non justificatus sum.*

L.

Et Phariseus ille Luc. 18. præclaris virtutibus erat celebris,  
pietate, jejunio, elemosynis, abstinentia à rebus prohibitis, &c. &  
tamen in contentione cum publicano, aperto peccatori multis para-  
fangis postponebatur, tantum abest ut operibus illis suis boni viri  
nomen apud Christum mereretur.

B 3

LL Sum

## LI.

com. 3. len. Summa ergo eò redit, inquit Lutherus super 23. Ierem. quod cor a  
 germ. fol. DEO boni viri sumus, sine operibus, sine lege, tantum per Christum Iesum.  
 435. Et paulò antè pag. 434. Christus venit Rex noster justitiam instauraturus  
 in terris, hoc est, bonos viros ex hominibus facturus. Et quid ad hoc opus le-  
 ge? si homines jam boni ac justii essent, non opus esset alio, per quem boni justii-  
 que fierent: nam qui sanus est, non opus habet medico Matth. 9. Hæc Lu-  
 therus piè satis & religiosè.

## LII.

Idem esto iudicium de malis opèribus: ea coram DEO non  
 faciunt malum virum formaliter: ita enim nemo sanctorum boni  
 viri nomen jure obtinere posset, cū nemo non malorum operum sibi  
 sit conscius Prov. 20. Rom. 3. Psal. 19. & 32. &c. sed infidelitas, ut  
 mali operis, ita & mali viri causa formalis est.

## LIII.

Quomodo  
 dicatur, so-  
 la incredu-  
 litas dam-  
 nat.

Inde factum, quod Scriptura infidelitati culpam damnatio-  
 nis adscribat. Qui non crediderit, condemnabitur Marc. 16. Ioh. 3.  
 Unde Lutherus propositionem suam mutuatus est: *Sola incredulitas*  
*damnatum facit*: non quasi cætera peccata habeat in promiscuo, &  
 citra periculum damnationis perpetrari posse statuat: sed ut inter  
 causas damnationis dextrè discernat.

## LIV.

Certum enim est, mala opera damnare, id enim scriptura ple-  
 no ore testatur, & inter cætera Paulus 1. Cor. 6, 9. *neq; fornicarij, neq;  
 idolis servientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores,  
 neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.*  
 Certum etiam est, infidelitatem damnare: nam qui non credit in  
 Filium, non habet vitam æternam Ioh. 3, 36. & tamen quoties Sal-  
 vator de damnatione hominum agit, plerumq; semper allegat causam,  
 hominum infidelitatem Ioh. 3, 17, 36. Marc. 16, 16.

## LV.

Ratio manifesta est, quia voluit salutem & damnationem op-  
 ponere in eodem genere causæ. Mala opera damnant, ut causa  
 efficiens, quia damnationem merentur: sola autem infidelitas est  
 causa formalis (ut ita loquar) damnationis, quia repudiat &  
 repellit Christum.

36. Quem.

## LVI.

Quemadmodum igitur sola fides justificat, quia sola apprehendit Christum cum omni suo merito, licet Deus etiam sit, qui justificet Rom. 8. hic tamen ut causa efficiens, illa ut causa formalis nostræ justificationis: ita sola infidelitas damnat, quia sola repellit Christum cum omni suo merito, licet & scortatio & ebrietas & homicidium & cætera peccata damnent: illa tamen, ut causa formalis, hæc ut causa efficiens damnationis.

## LVII.

Præterea certum est: infidelitatem sæcundam matrem esse peccatorum omnium. Nam ubi fides vera est, ibi non sunt peccata vastantia conscientiam. Neq; enim agnoscimus fideles fornicarios, fideles adulteros, fideles molles, fideles masculorum concubitores, fideles fures, fideles avaros, fideles ebriosos, maledicos, rapaces: quales sanctos canonisavit Concil. Trident. sess. 6. cap. 15. & confirmavit Bellarminus noster in præfat. 1. controv.

## LIX.

Cum ergo matri tribuitur damnatio, non excluditur soboles, sed includitur, tanquam individua comes matris: infidelitatem tamen seorsim & nominatim hic perniciosissimus effectus adscribitur, quia cætera peccata damnare non possent, nisi cum infidelitate conjuncta essent.

## LIX.

In hanc sententiam B. Lutherus propositionem suam (sola incredulitas damnat) satis dilucidè declaravit in scripto adversus Regem Angliæ, ubi inter cætera hæc habet: *Qui credit, non potest com. 2. 1. 1. 1. adulterium vel peccatum aliud committere; quemadmodum Iohannes ait. fol. 149.* Nam verbum DEI, à quo dependet, est omnipotens DEI virtus, que sustentat ipsum, ne cadat. Si verò labitur & peccat, jam certo fides est deperdita, & infidelitas successit. Vbi autem infidelitas est, ibi & fructus ejus, adulterium, homicidium, odium, &c. Ergo priusquam externa peccata perpetrantur, jam capitale peccatum, infidelitas, adest. Verissimum itaq; est, nihil peccatum esse, quàm infidelitatem, ea & peccatum est, & peccatum facit. Et si infidelitas ab odio vel alio peccato separari posset, certe odium peccatum non esset. Quemadmodum

modum

modum ergo sola fides iustitia nostra est, & iusta operatur: ita infidelitas solum peccatum est. Quam ob causam Christus nullum aliud peccatum adducit, quam infidelitatem Ioh. 16, 8. arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.

LX.

Ubi fides est, peccatum nullum nocere potest, est, peccatum nullum nocere

Ex his omnibus patet etiam illud alterum Lutheri (ubi fides aliud est, quam quod Christus dicit Ioh. 3, 15, 16, 17. qui credit in filium non perit, non iudicatur, sed vitam habet æternam. Absit autem, ut existimemus, fidem stare posse cum peccatis contra conscientiam: talia enim fidelis non facit 1. Ioh. 3. & si fecit, antequam fidem accepit, ea jam per fidem in Christum deleta, & penitus absorpta sunt, ut ad condemnationem non impurentur credenti.

LXI.

Nam ut pulchre loquitur Lutherus, quod unica guttula aqua est ad ingens aliquod incendium; hoc totius mundi peccata sunt ad Christum fide apprehensum, quem quam primum attingunt, consumuntur instar stipulae; in serm. super Evangel. ser. 2. pentecost. in postill. domest. fol. 46.

LXII.

Cor. 2. la. sin. Ien. fol. 271.

Christianus etiam volens non potest perdere salutem, nisi nolit credere.

Porrò quod ex lib. de captiv. Babylon. adducitur, hominem Christianum etiam volentem non posse perdere salutem peccatis suis, nisi nolit credere: ad id jam pridem responsum est quam sufficientissimè à Domino Chem. itio part. 2. Ex. sm. fol. 41. & fraus Pontificiorum in allegatione huius loci ad oculum ostensa.

LXIII.

Est enim fallacia in Phrasi perdere salutem. Nam peccatis contra conscientiam perditur omnino salus in baptismo credentibus promissa: sed si poenitentiam egeris, & in Christum credideris, instauratur in te promissa salus: Deus enim, qui promisit in Baptismo, fidelis est, semetipsum abnegare non potest, 2. Tim. 2. Et sic nulla peccata tam enormia sunt, quæ salutem perdant, modò poenitentia sequatur, cujus præcipua pars fides est. Non enim peccatores simpliciter damnantur, (aliàs nemo hominum salvus fieret) sed impœnitentes.

LXIV.

Et hoc est, quod Lutherus dicit, baptismum etiam quantumvis peccatis salutem perdere non posse, nisi credere seu verè



verè pœnitere noluerit. Hoc ipsum est, quod Dominus ipse dicit Esa. 1, 16, 17. *Lavamini mundi, estote &c. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur &c.* Et Jere. 18, 2. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi facere ei.* Et Paulus 1. Tim. 1, 13. *blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum.*

LXV.

In Epistola ad Galatas nullum Lutheri peccatum est. Nam cum bona opera in statu justificationis considerantur, verissimè dicitur, Christum negatum fidemque abolitam esse, si Christus & bona opera in eodem genere causæ, ad producendum eundem effectum conjungantur. Christus enim solus est, qui torcular iræ divinae calcavit, & in hoc sanctissimo satisfactionis opere, nullum admittit socium Esa. 63, 3.

LXVI.

Quo sensu rectè & planè Lutheranè scripsit Apostolus Paulus Gal. 5, 4. *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis: nos enim spiritu, ex fide, spem justitiæ expectamus.* Et alibi; *omnia detrimentum feci & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrificiam; & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi.* Hæc Apostolus Domini: cum quo transigant Lutheromastyges.

LXVII.

Non igitur dâmnantur ipsa bona opera, vel à Paulo vel à Luthero, sed opinio meriti & fiducia justitiæ & salutis, quæ collocatur in bona opera. Quo pacto B. Lutherus ipsum Paulum excusavit, cum de bonis operibus duriuscule loqui videretur. *Non agit Paulus, inquit, de ipso opere per se, quod sine opinione justitiæ nihil obest, sed de fiducia & justitiâ operi adjecta; in cap. 3. ad Galat.*

LXIIIX.

Et in cap. 5. addit hæc verba. *Extra causam justificationis nemo potest verè bona opera satis magnè commendare. Quis v. Lunius b ni operis, quod Christianus ex fide & in fide facit, meritum & fructum satis predicare potest? est enim pretiosius quam cælum & terra.* Unde satis superq; liquet, quo nomine B. Lutherus mandata Dei à fide & Christo se jungat.

LXIX.

Eodem planè sensu in serm. de verbis Domini: sic Deus dilexit &c.

C

xix &c.

*Deponenda sunt sacci bonorum operum.* xix &c. deponere jubet saccos bonorum operum, quibus onerati sunt sacci hypocritarum, si per angustam portam vitæ æternæ ingredi volumus. Non enim opera ipsa, sed fiduciam propriæ justitiæ, & opinionem meriti deponere jubet. Quemadmodum enim justificatio; ita & ingressus in vitam æternam ex fide est sine operibus Rom. 3, 28. Eph. 2, 8, 9. Deponenda igitur sunt bona opera justificandis, non autem justificatis: illis meritum Christi fide apprehensum sufficit: nequaquam enim sua obedientia legi præstita vel ex toto vel ex parte justificari possunt: his declaratio, exercitiumq; fidei necessarium est, jactantia verò obest.

LXX.

Sic ergo satisfactum est primo argumento Bellarmini; cujus calumnia ex gemino errore profluit. Unus est, quod in operibus Christianorum plus non agnoscit, quam in virtutibus aut vitijs Ethnicorum. Hæc enim per habitum bonarum vel malarum actionum describuntur: illa verò per fidem vel defectum fidei informantur. Hinc est, quod bonum malumve virum non nisi Ethicè considerare potest in Schola Spiritus Sancti: sed satis *απὸ θεῦτος.*

LXXI

Alter error est, quod articulum de justitia fidei non intelligit, & bona opera extra suam sphaeram extendit. Hinc perpetuâ fallaciâ ludit à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: nam, quæ de bonis malisve operibus in statu justificationis consideratis dicta sunt, de ijs simpliciter intellectis accipit. Unde & cæterarum suarum probationum errores maximam partem promanant.

LXXII.

*2. argumentum Bellarmini.*

Sed progrediendum est ad *Secundum* argumentum Bellarmini, quod petit ex propositione alia Lutheri. Eum enim scribere dicit in assert. art. 31. 32. & 36. *omnia opera justorum ex natura sua esse peccata mortalia.* Unde ita concludit:

*Si bona opera sunt ex natura sua peccata mortalia, & tamen propter fidem non imputantur, certè poterunt etiam mala opera propter fidem non imputari, ac per hoc non nocere: neq; erit causa, cur vitentur.*

*Sed prius ait dicere Lutherum. Ergo &c.*

In hoc argumento noto i. calumniam & crimen falsi plane *Responſio.*  
 inexcusabile, quod committit Bellarminus. Nusquam enim scri-  
 psit Lutherus: bona justorum opera EX NATURA sua esse pecca- *tom. 2. lat. lem.*  
 ta mortalia. Sed ita scribit art. 31. In omni opere justus peccat: art. 32. *fol. 308. 309.*  
*opus bonum optimè factum est mortale peccatum secundum iudicium DE I.* *310.*  
*art. 36. justus in bono opere peccat mortaliter.*

## LXXIV.

Ex natura autem sua scit ea esse sanctissima, secundum omnes *Quomodo b-*  
 causas suas considerata, quo nomine etiam vel unum saltem opus *ni opera di-*  
 bonum non satis magnificè commendari posse dixerat, loco lu- *canitur peccata*  
 pra allegato, ex comment. in cap. 5. ad Galat. *mortalia.*

## LXXV.

Fiunt autem mortalia secundum quid, partim, quando ipsis  
 fiducia justitiæ & opinio meriti asungitur, partim etiam, quando re-  
 spectu suæ imperfectionis considerantur. Nullum enim opus in  
 hac corruptione naturæ nostræ vel à sanctissimis fieri potest, quin  
 adhæreat aliqua macula, quæ juxta rigorem judicij divini totum  
 opus polluit, secundum illud: *Qui in uno peccat, reus est omnino.*  
*Jac. 2.*

## LXXVI.

Et hoc sensu Scriptura & S. Patres hoc ipsum, quod Luthe-  
 rus, de bonis operibus scripserunt, Salomon aperte dicit, Non est  
 homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccl. 7. 21. &  
 quis potest dicere, mundum est cor meum, Proverb. 40. 9. Esaias conque-  
 ritur: facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatae sunt  
 omnes justitiæ nostræ Esa. 64. 6. Paulus bonorum operum sectator  
 studiosissimus, omnem suam justitiam *οὐβλαλα ηγι ζημιαν* nomi-  
 nat, si Christo in actu justificationis nostræ adjungantur. Ita e-  
 nim scribit Philip. 3. 7. quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum pro-  
 pter Christum detrimenta: Et iterum: Propter Christum omnia detri-  
 mentum feci, & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Ex patribus Augustini vox est libr. 9. confels. cap. 13. *Vae etiam laudabili vita hominum, si remota misericordia discutias eam: & Gregorij Magni in cap. 9. Jobi: Sanctus Iob videbat omnia nostra bona opera esse MERA PECCATA; si judicantur à DEO; ideo dicit, si voluerit homo contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.*

## LXXIIX.

Hoc pacto calumniis Adversariorum obviam ivit ipse Lutherus artic. 31. *Quid ergo meum articulum damnant? inquit: Damnent illud Esa. 54. Et facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus mulieris menstruatæ universa justitiæ nostræ. Et illud Eccl. 7. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Obsecro, qui universas nostras justitias immundas dicit, nonne omne opus bonum peccato pollutum asserit? Damnent & illud Psal. 43. Non intres in iudicium cū servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Deus enim justus: iudex bonum opus damnare non potest. Cum autem hic dicat, non justificari ullum viventem etiam servum Dei, planum est, nullum opus bonum posse justum iudicium Dei sustinere, quare nec plene bonum est.*

## LXXIX.

Hæc & similia multa habet Lutherus loco dicto: quæ omnia vidit vel Bellarminus, vel is, cujus opera in compilandis Lutheri dictis usus est: & tamen tacuit: jam verò quasi se benè gesturum Lutheri, & per ejus latus Spiritui Sancto illudit, quasi hoc ipso doceat, non esse causam, cur mala opera vitentur: quod os impudens Satanæ Deus increpet: alia enim responsione opus non est, in tam clara Scripturæ luce. Occinant hæc Augustino & Gregorio (non dicam Elaiæ aut Paulo) & videbunt, quam gratiam initari sint Sycophantæ illi, etiam apud cordatiores Pontificios.

## LXXX.

Sed ad argumentum respondendum est: *Si bona opera propter fidem non imputantur, cum tamen sint peccata mortalia, sequitur, et mala opera imputari, & per consequens, licet impune mala facere. In qua collectione ratio consequentiæ planè nulla est.*

## LXXXI.

Nam bona opera in se, & quò ad substantiam actus, bona sunt, & legi Dei congrua, sed ratione imperfectionis inæ & accidentis vitij, fiant

tij, fiant

rijsunt & ipsa vitiosa, ac secundum regulam justitiæ divinæ morti obnoxia, sed accedente fide in Christum regitur illa imperfectio, & credentibus, non imputatur: sed mala opera non ex accidenti, sed quo ad substantiam actus mala sunt & mortalia; ac proinde non possunt non imputari peccatori, quia desituuntur fide in Christum, quæ cum caritate semper est conjuncta. Unde sequitur, non quidquid de imperfectione bonorum operum prædicatur, etiam de malis operibus conscientiam vastantibus dici posse.

## LXXXII.

Sed instat Bellarminus: *Si mala opera cum proposito peccandi facta, non possunt consistere cum vera fide: ergo neq; bona opera possent cum fide consistere.* Rationem consequentiæ hanc affert. *Nam opera bona non sunt bona (ex ipsorum sententia) nisi nomine & secundum quid, re ipsa vero & simpliciter sunt peccata mortalia.*

## LXXXIII.

Atqui hoc non est argumentari, sed satis impudenter calumniari. Nemo enim nostrum est, cui blasphemam istam sententiam de bonis operibus sat firmis & evidentibus rationibus attribuere possit. Contrarium enim ex jam data declaratione liquet. Hæc enim nostrarum Ecclesiarum, imò Scripturæ est sententia: opera bona in se re ipsa & simpliciter esse bona, juxta omnes suas causas: quia à Spiritu Sancto profecta, secundum mandatum Dei & in fide facta, ad gloriam DEI & proximi utilitatem: ex accedente autem imperfectione & opinione meriti fieri coram DEO vitiosa, imò *σκύβαλα καὶ ζυμία*.

## LXXXIV.

In sumum ergo abeunt sequelæ Jesuiticæ: *eum, qui propositum habet faciendi elemosynam, quoniam scit, se hoc non posse facere, nisi peccando mortaliter haberi propositum peccandi mortaliter; item, um qui propositum jurandi habet, posse simul habere fidem, furtum non reputari ad peccatum.*

## LXXXV.

Quam cantilenam suis hominibus cantillent, quibus ex decretis concilij Tridentini credere injungitur, esse scortatores, adulteros, fures, avaros, ebriosos, masculorum concubitores, & similes, qui veram fidem habeant: Nobis DEI beneficio ejusmodi monstra hominum ignota sunt.

## LXXXVI.

3. Argumentū  
Bellarmini.

Tertium argumentum petit ex discrimine aliquo legis & Evangelij, quod traditur in nostris Ecclesijs. Nam cum doceamus inter cætera, etiam hoc interesse inter Legem & Evangelium, quod lex promissiones habet conditionales, Evangelium verò sine conditione promittat justiciam & salutem, hinc ipse infert:

*Si Evangelium nullam requirit conditionem obedientie, sed est sola fide contentum, certè qui nihil boni faciat, consentaneè ad Evangelium vivet. Atqui prius verum. Ergo & posterius.*

## LXXXVII.

ansio.

Sed est in argumento fallacia in voce Evangelij. Quæ interdum notat integram religionem Christianam ad quam & lex & Evangelium propriè sic dictum pertinet: interdum significat in specie doctrinam gratiæ & remissionis peccatorum; & sic legi contradistinguitur, tanquam altera & quidem præcipua pars religionis Christianæ.

## LXXXVIII.

Quando ergo dicimus, Evangelium non requirere conditionem obedientiæ, intelligimus id de Evangelio propriè & in specie sumto. Nam ad apprehensionem gratiæ & remissionis peccatorum sola fides sufficit, quæ ibi non ut conditio (quemadmodum perperam opinatur Bellarminus) sed ut medium necessarium consequendæ remissionis peccatorum consideratur. Verùm ad religionem Christianam non sufficit fides, sed cor purum, fides non ficta & conscientia bona 1. Tim. 1. Ergo consentaneè Evangelio, hoc est, religioni Christianæ non vivunt, qui peccatis contra conscientiam indulgent.

## LXXXIX.

*Sed, inquires, ergone doctrina gratiæ consentaneè vivunt, & (ut Bellarminus loquitur) consolationem magnam ex Evangelio percipiunt, justificantur & salvantur, qui voluntariè in scelibus perseverant?*

## XC.

Id

Id verò pernegamus. Satis quidem habent ad apprehenden-  
dam gratiam, qui fidem habent: sed ad fidem satis non habent, qui  
scelera patrunt; fides enim sine operibus bonis mortua est Jacob. 2.  
Inde tamen non sequitur, quod Bellarminus putat, doctrinam gra-  
tiae ad consequendam gratiam etiam requirere bona opera, quia fi-  
dem requirit.

## XCI.

Fidei enim duo sunt actus, unus est Evangelicus, alter Legalis.  
Priori actu sursum se ad DEUM elevat, cujus gratiam, meritumque  
Filij sui apprehendit: & hoc solum ad doctrinam gratiae, seu Ev-  
angelium propriè sumtum pertinet. Posteriori actu proximum  
respicit, ad quem egreditur foras per opera caritatis, quae non ad  
Evangelium, sed ad legem pertinent.

## XCII.

Non ergo possunt consolationem ex Evangelio percipere, ju-  
stificari & salvari, qui in sceleribus perseverant: tales enim fidem  
nondum habent, quae ex odio scelerum & amore virtutis agnosci-  
tur.

## XCIII.

Quartum argumentum petit ex libertate Christiana: de qua *4. argumentis*  
ait ipse, doceri in nostris Ecclesijs, quod in eo consistat; quod homo *Bellarmini*  
justus liber sit à debito legi implendae coram DEO, & per hoc omnia opera sint  
illi jam indifferentia, nec praecipua nec prohibita.

## XCIV.

Quod ne finxisse videatur, affert locum unum atque alterum  
ex Luthero. Ex comment. in cap. 2, ad Galatas. *Sola fides ne essario*  
*est, ut justifimus, cetera omnia liberrima, neq; praecipua amplius neq; probi-*  
*bita. Ibidem: Si conscientia dicat, peccasti, responde, peccavi: Ergo Deus*  
*puniet & damnabit. Non: at lex hoc dicit? sed nihil mihi cum lege, quare? quia*  
*habeo libertatem. Et in argumento ejusdem Epistolae: Summa ars & sa-*  
*plentia Christiana est nescire legem, ignorare opera, & totam justitiam acti-*  
*vam: Et in libr. de libertate Christiana. Nullo opere, nulla lege hominè*  
*Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege.*

## XCV. Sed

Responsio.

XCV.

Sed profectò nihil tam benè dictum est, quin maledicendo depravari possit. Quid enim magis consentaneum est Scripturæ, quam credentem in Christum liberum esse à lege, tanquam ex-ctore suo, omnia enim spontè facit, non coactus à lege: liberum etiam esse à maledicto legis, quod in credentes nullum jus habet. Ita enim Paulus docet Rom. 8. Lex spiritus vitæ, id est, fidei, liberavit me à lege mortis & peccati, id est, à lege quæ mortem & peccatum operatur & auget, quemadmodum Lutherus in cap. 2. Galat: explicat. Et Rom. 7, 4. dicimur mortificati Legi per corpus Christi, & vers. 5. soluti à lege mortis.

XCVI.

Talem ergò libertatem Lutherus docuit, qualem ex Epistolis Paulinis didicit, libertatem à maledicto & coactione legis, à qua credentes liberati sunt per Christum; non autem ab obedientia legis, quemadmodum Pontificij per calumniam sententiam Lutheri interpretantur.

XCVII.

Contra quam calumniam inter cætera hæc verba Lutheri notanda sunt in comment. in cap. 3. Genes. *Habet libertatem homo, non talem, ut si D E V S præceperit, possit id facere vel non. Quod enim ad præcepta Dei attinet, non est homo liber, sed debet obedire voci D E I, aut sustinebit sententiam mortis.* Et iterum in libr. de votis Monasticis. *Non est Evangelica libertas, posse omittere mandata D E I; non sumus liberi ab operibus faciendis.* Et in præfat. Epistolæ ad Rom. *Libertas sive liberatio à lege, non est carnalis libertas, nihil faciendi, sed est spiritualis libertas, quæ non tollit legem, sed id quod à lege requiritur, donat & præbet, ut scilicet cum delectatione & dilectione, sine coactione legali, bona faciamus.*

XCIX.

Tom. 3. lat. ten. sol. 13. b. *Quod autem in caput 2 ad Galat. scribit, cetera omnia (præter fidem) esse liberrima, neq; præcepta neq; prohibita: non intelligendum est de ijs, quæ ad legem moralem pertinent, sed de rebus ceremonialibus & natura sua indifferentibus. Loquitur enim ibi de lapsu*



lapsu Petri, quod gentes coëgit Judaizare, abstinendo à cibis genti-  
lium, subvenientibus Judæis: quasi observatio ciborum Judaico-  
rum quidquam faciat ad justitiam.

## XCIX.

Hic verò dicit Lutherus, *contra necessitatem pro libertate pugnat Paulus. Sola enim fides Christi necessaria est, ut justi simus, cetera omnia (scilicet, quæ ad ritus Judæorum pertinent) liberrima, neq; præcepta amplius neq; prohibita. Si ergo Petrus recta fronte utraq; facisset (scilicet & cum gentilibus, & cum Judæis rectè versatus fuisset) non fuisset reprehendendus: sicut Paulus utraq; cum fiducia fecit.*

## C.

Ex quibus Lector non corruptus facilè intelligit, per sophisti-  
cam ad opera legis moralia torqueri à Pontificijs, quæ Lutherus de  
ceremonialibus scripsit. Quod Bellarminus facilè agnoscere po-  
tuisset, si vel ipse Lutherum legisset, vel candidus esse voluisset.  
Nam quomodo libertatem operum intelligat Lutherus, in eo ipso  
Commentario in cap. 2. Galat. satis perspicuè exposuit.

## CI.

Paulò post initium scribit: *Opera legis & lex ipsa non sic sunt mor-  
tificata & finita per Christum, ut ea nullo modo liceat operari (quemadmodum  
Hieronymus ex Origene suo ductus non uno loco contendit) sed tantum, ut absq;  
eis salus esse credatur, per solum Christum, qui finis est legis, in quem futura  
erant præcepta.*

## CII.

In medio Capitis hæc sunt: *Igitur necessaria sunt præcepta, non  
ut per opera eorum justificemur, sed ut jam justi sciamus, qua ratione Spiritus  
noster carnem crucifigat, & in rebus hujus vite dirigat, ne caro insoleat, &  
ruptis frenis sefforem Spiritum fidei excutiat: non equiti sed equo frenum de-  
betur.*

## CIII.

Quando ergò alibi scribit, *Christiano nihil esse cum lege, summam  
sapientiam esse ignorare legem, per fidem ipsum liberum esse à lege: nihil ali-  
ud dicit, quàm quod Paulus uno verbo expressit: Vbi spiritus Domini,  
ibi libertas 2. Cor. 3, 17. Verè enim nihil est credenti cum lege, quando*

D

coram

coram Deo constituitur justificandus: ibi enim fides sufficit, & satius est ignorare legem, quam opera legis actui justificationis immiscere: liber etiam est à lege, maledicente nimirum & cogente: quem admodum supra quoque explicatum fuit.

CIV.

Et sic mentem suam declarat Lutherus in libr. de libertate Christiana: *Clarum est; homini Christiano fidem sufficere pro omnibus: nec operibus ei opus fore ut justificetur: quod si operibus non habet opus, nec lege opus habet: Si lege non opus habet, certè liber est à lege, verumq; est: justo non est lex posita. Atq; hæc est Christiana illa libertas, fides nostra, quæ facit, non ut otiosi simus aut malè vivamus, sed ne cuiquam opus sit lege aut operibus ad justitiam & salutem. Et iterum: Non liberi sumus per fidem in Christum ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est, à stulta presumptione justificationis, per opera quesita.*

CV.

*5. argumentū  
Bellarmini.*

Quintum denique argumentum petit Bellarminus ex vita & moribus Lutheranorum, quos ex hujus doctrina occasione incredibilis licentia in omnia scelera prorumpere scribit, ita ut necesse fuerit Lutherum visitationem instituire, & bona opera laudare &c.

CVI.

*Responsio.*

Sed quid vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem in oculo tuo non consideras? Itane puræ putæ sunt vestræ Ecclesiæ, ut visitatione vel reformatione non indigeant? cur ergo multi boni viri in medio Paparu de Simonia, avaritia, Sodomia, libidine & omnium scelerum voragine, quæ in una Roma reperitur, tantopere conquesti sunt, & reformationem urserunt, quod vestris hominibus ignotum non est, aliàs exempla satis multa hic apponere possem.

CVII.

Et an tu existimas, Ecclesiam esse cœtum purè putè sanctorum, in quibus nulli reperiantur scelerati? ita uno conatu & Christi & Prophetarum & Apostolorum Ecclesias damnabis: ibi enim semper reperti sunt, quorum vita confessioni non respondit, qua de re querelæ

querelæ crebro repetitæ, passim extant Esa. 53. Jer. 5, 6. Johan. 12, 1. Cor. 5. Gal. 5. &c.

CIIX.

Benè autem facis, quod Lutherum visitationem instituisse, & contra licentiam nonnullorum Epicureorum bona opera commendasse scribis: eo ipso enim fecit, quod Christus, qui tertia vice Ecclesiarum visitationem repetivit; quod Paulus, quem Ecclesia Corinthiacam graviter reformasse ex ipsius Epistolis constat; quod denique boni pastoris est officium: ubi licet eventus non semper ex aise apud omnes responderit, ipsi officio tamen nihil decedit: oportet enim Zizania relinqui usque ad messem Matth. 13. oportet scandala venire & hæreses esse Matth. 18. 1. Corinth. 11. neque diabolus possessionem suam spontè relinquit, aut leviter tactus cedit, aut semel expulsus, nunquam redire tentat. Idcirco instandum & arguendum oportunè, importunè, obsecrandum, increpandum, in omni patientiâ & doctrinâ 1. Tim. 4, 16. 2. Tim. 4, 2.

CIX.

Sed sat multa jam de lædorijs Bellarmini, quibus respondendum fuit, ne doctrina nostrarum Ecclesiarum de Necessitate Bonorum operum aliquid detrimenti accepisse videretur. Nunc ad alterum caput progressum facimus.

CAPUT SECUNDUM.

*An opera Bona necessaria sint salutem.*

CX.

Hic verò duorum ordinum homines occurrunt, qui phrasin hanc mordicus defenderunt in Ecclesiâ: Ex una parte Pontificij, & inter hos Bellarminus; qui propter merita operum phrasin istam urgent, quorum argumenta postea examinabimus. Ex altera parte fuerunt superiori ætate nonnulli ex SemiPontificijs, & ex Augustanæ Confessionis Theologis, qui phrasin istam

D 2 in

in Ecclesia retinendam esse statuerunt, non quidem propter meritum operum, sed propter fidem & salutem retinendam conservandamq; per bona opera.

### CXI.

Beza volum.  
1. fol. 675.

De posterioribus his jam agere non est nostri instituti, neque etiam de ijs, qui ex gente Sacramentaria statuunt, bona opera ad salutem esse necessaria, ut quiddam cum vera fide necessariò coherens, ut *Beza* loquitur *part. 1. respon. & quest.* Sufficiat hic obiter saltem annotasse, phrasin istam, *per bona opera fides & salus retinetur & conservatur*, Pontificijs esse usitatam, neque fidei analogam esse. Exeretur quidem fides per bona opera, sed non per ea retinetur. Sed hoc virtuti DEI adscripsit Petrus 1. Petr. 1, 5. Sic & salus retinetur non per opera, sed per fidem, secundum illud: tu autem fide stas Rom. 11, 20. & per Christum habemus accessum per fidem ad gratiam istam, in qua stamus &c. Rom. 5, 2.

### CXII.

Cum Pontificijs autem, & inter hos, cum Bellarmino inprimis nobis res est, in quorum gratiã primùm argumenta proferemus, cur neque res, neque phrasin ista, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, toleranda sit in Ecclesia, deinde argumenta contraria Bellarmini examinabimus.

### CXIII.

Bona opera  
non sunt ad  
salutem ne-  
cessaria.

Primùm ergò abstinendum est ab ista phrasi: quia Pseudopostoli olim ita docuerunt, nisi circumcidamini ritu Moysi, non potestis salvari: quæ sententia pleno concilio Apostolorum repudiata fuit Act. 15, 1. & postea ab Apostolo Paulo seorsim damnata: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit, Gal. 5, 7.*

### CXIV.

Deinde D. Paulus rejecit hanc phrasin, quoties docuit, hominem justificari & salvari gratis, fide, sine operibus, sine lege, Roman. 3, 28. 4, 4. 11. 6. Galat. 2, 16, 3, 11. Ephes. 2, 8. &c. quibus in locis fides & opera immediate opponuntur in articulo justificationis. Unde concludimus:

*Sine quo effectus produci potest, id ad producendum effectum non est necessarium.*

Sine

*Sine operibus salus & justitia accipitur, teste Paulo locis allegatis.*

*Ergo opera non sunt vel ad salutem vel ad justitiam necessaria.*

## CXV.

Præterea pugnat hæc phrasis cum præcipuo discrimine legis & Evangelij; quod D. Paulus in eo ponit, quod lex proponit quidem justitiam & salutem, sed sub conditione perfectæ impletionis, quæ cum sit homini impossibilis, fit ex lege non ministerium justitiæ, sed peccati, mortis ac condemnationis 2. Corinth. 3, 7. Evangelium autem proponit justitiam & salutem credentibus in Christum, sine conditione bonorum operum, Roman. 4, 5. Pertinet autem doctrina de justificatione & salute nostra non ad legem, sed Evangelium. Hinc ita infero:

*Si doctrina de justitia & salute non urget opera bona, utique bona opera non erunt necessaria ad justitiam & salutem. Sed prius verum. Ergo.*

## CXVI.

Porrò pugnat hæc phrasis cum promissione æternæ hæreditatis. Ea enim merè est gratuita, ita ut D. Paulus affirmare non dubitet, promissionem hanc incertam fieri, si quoque modo penderet salus & justitia nostra ab operibus. Ideo enim sine operibus, scribit, secundum gratiam, & ex fide, ut firma sit promissio, Roman. 4, 6. Unde infero:

*Quod promissionem salutis incertam facit, id ad salutem non est necessarium.*

*Bona opera incertam faciunt promissionem salutis.*

*Ergo non sunt necessaria ad salutem.*

## CXVII.

Si petis probationem minoris, sufficeret quidem dictum Apostolicum: sed accedit insuper ratio evidens, quod nemo hominum certus esse possit, quando sat bonorum operum fecerit, quantum ad promerendam salutem opus sit: totam enim legem perfectè implere non est nostrarum virium: hinc est querela David: *Delicta quis intelligit, ab occultis munda me Domine Psal. 19, 13.*

D 3,

119. Præterea

## CXIIX.

Præterea pugnat illa phrasis cum perfectissimo merito Christi, à quo solo & unico salutem nostram dependere testatur Apostolus Petrus Actor. 4, 12. ita ut blasphemia non careret, si perfectissimæ obedientiæ Christi assumentum operum nostrorum adderetur. Hinc tale exsurgit argumentum.

*Si meritum Christi sufficientissimum est ad salutem justitiamq<sub>2</sub> nostram, non erunt opera bona necessaria ad salutem.*

*Sed prius est verum : Ergo & posterius.*

## CXIX.

Accedit tandem exemplum Abrahami patris fidelium, qui justificatus fuit, non cum adhuc in peccatis esset, sed cum jam per decennium fermè integrum multis præclarissimis virtutibus ornatus esset. Et tamen Paulus de ipso scribit, non operanti, sed credenti in eum qui justificat impium, fidem ad justitiam fuisse reputatam, Rom. 4. Unde sic argumentor:

*Quod patri fidelium ad justitiam & salutem fide imputatam necessarium non fuit : id neq<sub>2</sub> nobis necessarium est ad salutem.*

*Atqui patri fidelium bona opera, quæ in ipso magno numero clauerunt, ad justitiam & salutem fide imputatam, necessaria non fuerunt. Ergo neq<sub>2</sub> nobis.*

## CXX.

Hæc potissima sunt fundamenta nostræ assertionis, cur opera ad salutem non necessaria judicemus, licet alias ob causas homini Christiano vel maximè necessaria sint, ut supra probavimus. Habet tamen Bellarminus quinque argumentorum classes, quibus necessitatem bonorum operum ad salutem probare conatur. Prima classis habet argumenta à discrimine legis & Evangelij, secunda à libertate Christiana; tertia ex quibusdam scripturæ locis; quarta ex traditione Ecclesiæ; quinta ex ratione. De singulis ordine videbimus.

CAPUT

# CAPUT TERTIUM.

399

## De argumentis Bellarmini.

### CXXI.

Prima classis tria habet argumenta. Primum tale est: Si promissio vite aeternae in Evangelio est conditionata ad bona opera, certè necessarium est, implere conditionem, si quis salvus fieri velit. Sed primum verum est. Ergo & posterius.

### CXXII.

Quod Promissiones Evangelicæ sint conditionatæ, probat quinque rationibus cap. 2. lib. 4. de justis. *Primùm ex eo, quod Math. 5. cap. dicit Salvator: Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Hic requiri, ait, conditionem justitiæ non imputativæ, sed actualis & operosæ, quæ in perfecta mandatorum DEI observatione consistit. Phariseorum enim justitiæ fuisse, diligere amicos, nostram autem, diligere etiam inimicos.* *Ad cap. 2. lib. 4. de justis. Bellarmini. An promissiones Evangelicæ sint conditionatæ. Locus 1. ex Matth. 5.*

### CXXIII.

*Respondeo:* distinguendum est inter promissionem legalem & Evangelicam. Dictum Christi non loquitur de vita aeterna in Evangelio promissa, sed in lege. Nam lex etiam prædicat vitam, & justitiam, paratam ijs qui perfectè implent legem, juxta illud: Si feceris hoc, vives in eis. Hanc legalem justitiæ duntaxat agnoscebant Pharisei, & tamen legem nondum rectè intelligebant, sed tantùm de externa quadam obedientia; cui corruptelæ Christus veram legis interpretationem opponit, de perfecta omnium virium conformitate cum lege; quam si habuissent, salute & vitæ aeternæ destituti non fuissent. *Respondeo*

### CXXIV.

Cum autem nemo tantam apud se perfectionem inveniret, fuit ipsis hæc concio legis pædagogia ad Christum, in cujus obedientia perfectam illam legis impletionem habuerunt, quam qui per fidem sibi propriam faciebant, obtinebant abundantiorum illam justitiæ, quæ solum consistit in judicio DEI.

Et sic Christus directè de legali justitia loquitur, ad quam perfecta legis impletio pertinet: indirectè verò Evangelicam respicit, quæ nobis in Christo perfectionem illam ostendit.

CXXV.

Locus 2. ex

Matth. 19. &

Luc. 10.

Deinde locum affert ex Matth. 19, 17. ubi Christus quærenti, quid boni facturus habere possit vitam æternam, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & alteri cuidam roganti, quid facto opus esset ad vitam æternam acquirendam, & mandata legis recitanti, respondit: *rectè respondisti, fac hoc & vives. Luc. 10. 28.*

CXXVI.

Responsio.

Sed hic de promissione Evangelica nullum verbum. Nam de bonis operibus quæsitus Salvator, per quænam possit consequi vitam æternam, nō remittit quærentem ad opera Phariseorum electitia, sed ad legem Domini, ibiq; rationem expeditam ostendit, in quibus operibus exercere sese debeat, non quasi ea omnia quæ legis sunt, præstare sit possibile: sed ut infirmitatem suam agnoscens ex lege intelligeret, aliã sibi opus esse justitiã, eumq; qui pro nobis factus est legis impletio, verã fide quæreret. Est enim lex pædagogus ad Christum Gal. 13.

CXXVII.

Locus 3. ex

Rom. 8.

Tertiò dicit, Apostoli passim conditiones operum inculcant, Roman. 8. *Si spiritus facta carnis mortificaveritis, vivetis*: & ibidem: *coheredes sumus Christi, si tamen compatimur &c.* ergo promissiones Evangelij sunt conditionales.

CXXVIII.

Responsio.

Sed hæ conditiones omnes & similes non pertinent ad Evangelium, sed ad legem. Et puerilis Bellarmini error est, in hac & prioribus rationibus omnibus, quod doctrinam Legis & Evangelij libris Veteris & Novi Instrumenti ita distinguit, ut in illis nil nisi legem, in his nil nisi Evangelium tractari existimet.

CXXIX.

Certum enim est, Christum & Apostolos in N. T. sæpissimè legem seu decalogum explicare, & vicissim, Mosen ac Prophetas doctrinam gratiæ & remissionis peccatorum tractare. Ita manifestum quidem



quidem est, verba hæc esse Apostolorum, quibus mortificationem carnis præcipiunt, ad patientiam sub cruce & bona opera hortantur, sed propriè ad doctrinam legis pertinent; & non causam nostræ justificationis, sed notas & effecta justificatorum describunt, ordinemq; monstrant, quo Deus suos ad gloriam vitæ æternæ provehere soleat.

## CXXX.

Hinc est regula Lutheri in disp. secundâ contra Antinomos: *Quidquid ostendit peccatum, iram & mortem ( & per consequens, quidquid de bonis operibus docet ) ad legem pertinet, non ad Evangelium, five fiat in veteri five in novo testamento.*

## CXXXI.

Quarto loco institutum suum probare conatur ex doctrina Prophetica, præsertim ex cap. 18. Ezech. ubi aliquoties repetitur, Dominum indulgentiam & vitam impio donaturum, si tamen pœnitentiam egerit à peccatis & mandata omnia custodierit; & contra, se justum graviter puniturum, si averterit se à justitia & mandata non custodierit. *Sicut ergo avertere se à justitia & mandata non servare, conditio est, à qua pendet comminatio mortis: ita quoq; avertere se à peccato, & facere judicium ac justitiam, conditio est, à qua pendet promissio vitæ.*

Locus 4. ex  
cap. 18. E-  
zech.

## CXXXII.

Sed est hic quoq; ejusdem fallaciæ lusus, quem in præcedentibus habuimus: perpetua nimirum confusio promissionum legalium & Evangelicarum. Negamus enim, esse doctrinam Evangelij, quando propheta hominibus pœnitentiam concionantur, vel dehortando ab iniquitate, vel exhortando ad justitiam: nam doctrina gratiæ non est concio pœnitentiæ: hæc ad legem pertinet; illa ad Evangelium propriè sic dictum.

Responsio.

## CXXXIII.

Est igitur, avertere se à justitia, conditio, à qua pendet comminatio mortis; & avertere se à peccato, conditio, à qua pendet promissio vitæ: sed promissio non in Evangelio, sed lege prædicata. Quam primum enim promissioni vitæ assuuntur opera, non amplius Evangelica, sed legalis est.

## CXXXIII

*Probat deniq; ex conditione fidei. Scriptum est, inquit, Marc. 16. Locus 5. ex*

E

*Qui cre- Marc. 16.*

*Qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Ergo falsum est, quod promissiones Evangelicae non sint conditionales: requirunt enim conditionem fidei.*

CXXXV.

*Responso.*

Sed quemadmodum non negamus, promissiones Evangelij requirere fidem: ita nequaquam concedimus, fidem esse conditionem justitiæ ac salutis propriè sic dictam. Nam quod sub conditione promittitur, habet respectum ad dignitatem laboris præstiti, aut antecessi meriti: nullus autem respectus dignitatis est in promissionibus vitæ ad fidem: non enim Fides in negotio salutis nostræ consideratur ratione operis aut dignitatis suæ, sed ratione officij, quod ex ordinatione Dei medium est, & mendica manus, qua gratiam, justitiam ac salutem nobis gratuito oblatam apprehendimus,

CXXXVI.

Sed instat Bellarminus: quibus verbis Scriptura docet, requiri conditionem fidei ad salutem, ipsidem, vel clarioribus docet requiri conditionem legis implendæ.

CXXXVII.

Ad quod sciendum est. Fidem requirere legis impletionem dupliciter, primum imputativè, in actu justificationis, ubi Deo satisfieri oportet, antequam misereatur peccatoris: & ibi facta est legis impletio extra nos à Christo, cujus perfecta justitia credenti imputatur Rom. 4. & 10. deinde incoativè extra illum actum, quando homo justificatus agit cum proximo: ubi ea, quæ legis sunt, præstantur, sed imperfectè, ita tamen, ut acceptetur à Deo obedientia credentis, tanquam fructus fidei, & quod reliquum est, perfectione justitiæ Christi compensetur. Requiritur igitur hoc posteriori modo conditio operum ad fidem non in justificatione, quò pertinent promissiones Evangelij; sed in homine jam justificato, qui debitorem legis se agnoscit Rom. 8.

CXXXVIII.

*Ad cap. 3. lib. 4. de justificatione. Bellarm.* *Secundum argumentum primæ classis confuse & prolixè proponitur, & tractatur cap. 3. Sed hæc summa est: Justitia & salus nostra sumenda est ex doctrina Evangelij. Sed doctrina Evangelij complectitur bo-*

zui bona opera. Ergo bona opera à justitia & salute nostrâ excludi non possunt.

An Evan. gelium complectatur bona opera

CXXXIX.

Minorem probat: quia lex & Evangelium differunt, ut doctrina incoata & perfecta; siquidem tria illa, quae continentur in lege; mysteria, promissiones, praecepta, reperiuntur etiam in Evangelio, & quidem longè perfectius, quàm in lege: id quod per partes longa serie diducit.

CXL.

Verùm satis ἀπαρδύτως confundit discrimen Veteris & Novi Instrumenti, cum discrimine legis & Evangelij. Cum de libris Instrumenti utriusq; quæstio est, libenter equidem fatemur, utrobique eandem contineri doctrinam, mysterijs, promissionibus ac praeceptis plenam, clariusq; propositam in libris instrumenti Novi, quàm Veteris, quo sensu rectè dictum est à Patribus, Testamentum vetus esse occultationem Novi, & Testamentum novum esse revelationem Veteris.

Responsio.

CXLI.

Sed Evangelium propriè sumtum mysteriorum quidem & promissionum plenum esse concedimus, verùm mandata legis ibi nequaquã reperiuntur: manifesta enim est justitia Dei, quae est per fidem Iesu Christi, in Evangelio, sine lege. Rom. 1, 17. 3, 21, 22 & c.

CXLII.

Cùm ergo hic non controvertatur de discrimine Veteris & Novi Testamenti, idcirco cætera omnia, quæ in cap. 3. habentur, ut & discrimina reliqua in cap. 4. hic omninò prætermittimus, quippe, quæ planè extra oleam vagantur, & ad probandam necessitatem operum ad salutem, non nisi per insignem ἀδολεγίαν adducuntur.

CXLIII.

Unum tamen est in cap. quarto, quod Bellarmino novum argumentum (in ordine tertium) suppeditare videtur, nimirum, quod Christus in scriptura & legislator & Redemptor noster vocatur, à quo non solum doctrinam, sed etiam gratiam accepimus, ut non modò inter virtutes & vitia discernere, sed etiam, ut justitiam diligeremus & odio haberemus iniquitatem. Quorsum enim inquit, cum Evangelio gratiam bene operandi & legis

E 2

ipsius

ipsius implenda Christus conjunxit nisi, ut quod per literam legis Evangelicae discimus esse faciendum, id per Spiritum & gratiam impleamus.

CXLIV.

Quæ verba, si ad formam reducas, talis prodibit Syllogismus:

*Si Christus non modo legem docuit, sed & gratiam bene operandi dedit, utiq; bona opera erunt ad salutem necessaria; non exim frustra decet illam gratiam.*

*Sed prius verum. Ergo & posterius.*

CXLV.

Verum ut hic non dicam, quomodo Christus sit Legislator noster, alterius enim considerationis est, & infra attingetur, hoc saltem pensi hic habendum est, quæ gratia, & ad quid a Christo nobis collata sit.

CXLVI.

*vide thes.*

*157.*

Est autem illa gratia, quam per Christum habemus, gemina; una justificationis, quæ quidem est primaria, misericordia nimirum illa gratuita æterni Patris, quæ imputatur credenti, & cum lege nequaquam confundenda est; legi enim opponitur Ioh. 1, 17. Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Altera gratia est sanctificationis, quam largitur jam justificatis, ut incipiant aliqua facere Deo grata & legi ejus consentanea.

CXLVII.

Laborat itaq; argumentum Bellarmini fallacia causarum. Nam gratiam illam bene operandi largitur Dominus non ad salutem & justitiam impetrandam; sed ad declarandam jam impetratam. Neq; quidquam aliud ex argumento sequitur, quam bona opera esse necessaria justificatis, siquidem Christus suam gratiam frustra non est elargitus, non autem, ad salutem necessaria; sed alijs de causis, de quibus supra dictum fuit. Et hæc de prima classe argumentorum Bellarminianorum.

CXLVIII.

*Ad cap. 5.*

*Bellarmini*

SECUNDA classis argumentorum textitur ex doctrina de libertate Christiana. *Si enim justus non est liber, inquit cap. 7. ab obligatione legis, certè nisi eam impleat, non salvabitur.* Sed prius probat cap. 5. & 6. Unde tandem conclusionem suam spontè sequi existimat.

CXLIX.

Atqui

402

Atqui nulla est ratio consequentiæ. Potest enim homo obligatus esse ad legem, licet eam jam implere non possit: olim enim potuit, cum vires à Deo haberet, quas nunc per lapsum amissas Deus jure repetit, quia liberaliter dedit: potest etiam salvari, licet non ipse impleat. Sufficit enim impletionem jam factam esse à Christo, quæ & imputatur homini per fidem. Idcirco Christus τὸ τέλος τοῦ νόμου vocatur, impletio legis ad justitiam omni credenti Rom. 10, 4. & reputatur fides ad justitiam non operanti, sed credenti in eum, qui justificat impium Rom. 4, 5.

CL.

Pura puta autem est calumnia, quod cap. 5. scribit, nos in eo ponere libertatem Christianam, ut nulli legi subjecti simus in conscientia & coram Deo, & Christum habeamus pro Redemptore, non pro Legislatore; Moysen autem cum suo decalogo nihil ad nos pertinere.

CLI.

Satis calida mendacia uno spiritu efflata, quibus totum suum caput quintum incrustavit: sibiq; ipsi stramineum aliquem adversarium finxit, contra quem novem totis classibus argumentorum, partim ex scriptura, partim ex ratione, partim ex patribus petitorum vehementer & ad sudorem usq; pugnat; ostendendo, Christum fuisse legislatorem, Evangelium esse quandam legem, extare in Novo Testamento mandata Christi, de baptismo & Eucharistia, legem Moysis moralem à Christo & Apostolis approbatam, & fidelibus ad observandam traditam; legem moralem non esse per Evangelium abrogatam; Christianos vocari debitores, Christum secundum opera uniuscujusq; vel pœnas vel præmia distributurum: & quæ sunt his similia.

CLII.

Ecquid verò hisce machinis impugnat? Nimirum illud dogma: *Christianos ab observatione legis liberatos esse.* Quis verò nostrum hoc affirmavit unquam? annon magnam partem his ipsis argumentis bonorum operum studium, legisq; Mosaicæ observationem urgemus, & libertatem Christianam à licentia carnis multis modis sequestramus?

CLIII.

Consistit enim libertas nostra non in potestate faciendi quidlibet, sed in liberatione à coactione & maledicto legis. Renati enim

spontè faciunt, quæ legis sunt, & si quid ex imbecillitate carnis in-  
termittitur, id credentibus in Christum ad damnationem non  
imputatur Rom. 8, 1.

#### CLIV.

Ita docet (ut cæteros infinitos taceam) B. Lutherus noster  
in plurimis locis, imprimis satis clarè in præfatione epistolæ ad Rom.  
*Libertas, inquit, sive liberatio à lege, non est carnalis libertas nihil faciendi,  
sed est spiritualis libertas, quæ non tollit legem, sed id, quod in lege requiritur,  
donat & præbet, ut scilicet cum dilectione & delectatione, sine coactione legalis  
bona faciamus. Sicut qui debet, & non est solvendo, potest à creditore liber fieri du-  
obus modis, vel si ipse creditor lacerato chirographo nihil à te exigat, vel si bonus  
aliquis pro te solvat, & tibi donet sive præroget, quo possit chirographo creditoris  
satisfacere: & hoc postremo modo Christus nos à lege liberavit.*

#### CLV.

Novit hæc Bellarminus, ut suos digitos, nec obscure fateretur,  
in fine istius capituli, hanc esse Ecclesiarum nostrarum doctrinam,  
& tamen impudenter ista Simoniana nobis affingit, candore pror-  
sus Iesuitico. Occinat illa Libertinis: nobis cum istis erroribus  
nihil est commercij, sed cum Paulo, cui per similem calumniam  
molestia creabatur, respondemus: *Quid ergo dicemus? permanebimus  
in peccato ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo  
adhuc vivemus in illo Rom. 6, 1, 2.*

#### CLVI.

Potlem his dimittere Bellarminum, cum omnibus ijs, quæ  
prolixè congescit in capite quinto, sed ne scrupulus relinquatur, tria  
adhuc explicanda restant. 1. quomodo Christus dicatur Legislator.  
2. quomodo Evangelium dicatur lex. 3. qualia sint mandata Novi  
Testamenti.

*Christus  
quomodo sit  
Legislator.*

#### CLVI.

Primum quod attinet, non negamus, Christum Legislatorem di-  
ci: loca enim manifesta sunt Esa. 33, 22. *Dominus legifer noster* Iacob. 4.  
12. *unus est Legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* Non au-  
tem eo sensu ita dicitur, quo Moyses, qui exactor, & accusator  
noster

noster est, & cujus ministerio vel præmia vel pænæ dictantur.

CLVIII.

Hoc enim pugnat cum manifesto discrimine, quod D. Iohannes inter Moſen & Christum constituit: *Lex per Moſen data est, inquit, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est Ioh. 1, 17.* pugnat cum officio Christi: *Christus enim non est minister Legis Gal. 2, 17. sed est perfectio legis omni credenti Rom. 10.* dum ipse implet legem, & istam suam obedientiam imputat fidelibus, eosq; hac ratione à maledicto legis liberos pronunciat; quod facere non posset, si ipse non servantibus legem, more Moſaici Legislatoris maledictionem dictaret: nam maledicere & à maledicto absolvere sunt contraria.

CLIX.

Legislatoris autem officium Christo competit communi nomine, quatenus primus ille & summus Legislator est, qui eam cordibus hominum in prima creatione inſculpsit, in monte Sina repetivit, in Novo Testamento explicavit, & à fermento Phariſæorum repurgavit, item quatenus eam Renatis subinde inculcavit.

CLX.

Deinde neq; hoc diffitemur, Evangelium apud Eſaiam cap. 2, 3. appellari Legem, sed appellatione generali, hoc est, doctrinam divinitus patefactam, non de faciendo, sed de credendo. Nam præceptum Evangelij est, ut credamus Ioh. 3, 33. unde alibi lex fidei dicitur Rom. 3, 27. Quo respectu si quis Christum legislato-rem etiam dicat, quod Evangelium seu doctrinam fidei è sinu patris protulit, fortè non aberraverit.

*Evangelium quatenus dicatur lex.*

CLXI.

Deniq; mandata Novi Testamenti vel Legalia sunt vel Evangelica. Legalia sunt, quotquot urgent officia Christianorum, consistentia in dilectione Dei & proximi, quæ non arguunt causas justificationis, sed describunt justificados; qualia multa reperiuntur in concionibus Christi legalibus, & Epistolis Paulinis. Et hæc omnia ad Legem propriè pertinent, etiamsi in Novo reperiuntur Testamento.

*Mandata Novi Testamenti.*

162. Evan.

## CLXII.

Evangelica sunt præcepta de fide & Sacramentis, quibus fides vel impetratur vel confirmatur: quò pertinent verba mandati in institutione Sacramentorum; & verba promissionis de fructu sacramentorum: quæ omnia cum legalibus mandatis in unum chaos confundit & commiscet Bellarminus, tantum ut ex Christo Mosen faciat, ex perfectione legis exactionem, ex benedictione maledictionem, ex cælo deniq; infernum.

## CLXIII.

Qui Spiritus vertiginis ipsum ad eò circumrotavit, ut, cum de lege Christi loqueretur, quod Salvator ipse, non diffitente Jesuita, jugum suave & onus leve vocat: ipse tamen talem legem nominavit, *que obligando premit & gravet*; quomodo verò hæc congruat cum suavitate & levitate, quam Christus prædicat, vel an non potius spiritum Antichristi sapiat, judicet, qui bonus est: nos ad alia pergimus.

## CLXIV.

Ad cap. 6.  
Bellarmini

In capite sexto, quæ de gradibus libertatis Christianæ differit, quem admodum pleraq; sana sunt, ita nos non feriant. Probandum enim est Bellarmino, bona opera necessaria esse ad salutem: & ipse caput istud hunc in modum claudit: *Habemus igitur, ex vera Christiana libertate colligi, legis custodiam & opera bona homini Christiano esse maxime necessaria.* Quasi verò hoc quisquam nostrum negarit: sed ita oportet cum muribus & lemuribus pugnare, qui semel verecundiæ fines & veritatis limites transgressus est.

## CLXV.

Tale & illud est, quod in eodem cap. scribit, *adversarios graviter errare, cum dicunt, peccatum in hominibus justificatis semper vivere, sed non imputari.* Ita quidem est, graviter errant, qui ita docent. Nam quibus peccatum non imputatur, in ijs mortuum esse necesse est, hoc est, nec placet, nec nocet amplius. Sed qui sunt illi adversarij qui ista docent? ij fortassis, quos in Liripipio suo sibi finxit Jesuita, aliàs cur non nominat eos? non enim potuerunt ignoti esse (si qui sunt) Ismaeli isti, cujus manus adversus omnes, & omnium adversus ipsum.



## CLXVI.

Nos sanè justificatos nullos agnoscimus, in quibus adhuc vivat peccatum: Sed cum Paulo dicimus: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Rom. 6, 2. proprium enim eorum est, quibus non imputantur peccata (hoc est, justificatorum) quod liberati sunt à peccato, nec dominium ei amplius permittunt in mortali suo corpore Rom. 6, 12.

## CLXVII.

Sed progrediendum est ad TERTIAM classem argumen- *Ad cap. 7.*  
torum Bellarminianorum, qua dicta quædam scripturæ adfert, *Bellarmini.*  
quibus Necessitatem Bonorum operum ad salutem probare con-  
tur.; singula seorsim videre & examinare operæ pretium est.

## CLXVIII.

Primum dictum producit ex Hebr. 10, 36. *Patientia vobis necessa-  
ria est, ut facientes voluntatem Dei, reportetis promissionem.* Argumen-  
tum, quod inde producit Bellarminus, ita habet in forma.

*Quod necessarium est ad reportandum promissionem, id ne-  
cessarium est ad salutem;*

*Patientia necessaria est ad reportandum promissionem.*

*Ergo patientia est necessaria ad salutem.*

## CLXIX.

*Resp.* Minor propositio non est Apostoli: is enim non dicit, patientiam ad reportandam promissionem necessariam esse, sed ad faciendam voluntatem Dei, hoc enim dicere vult Apostolus, neminem posse juxta voluntatem Dei piè vivere, in ista adversitatum in-remperie, quæ pios comitari solet, nisi cor suum patientia muniret.

## CLXX.

Est autem voluntas Dei non modò ut benè operemur, verùm etiam, & inprimis quidem, ut credamus in Filium, & in ista fide constanter, usq; ad finem vitæ, perseveremus, juxta illud: *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam eternam* Job. 6, v. 40.

## CLXXI.

Ut ergo hæc voluntas DEI intrepidè fiat, patientiam requirit Apostolus: alia verò quæstio est, quid expectandum sit facientibus voluntatem DEI, & hic respondet Apostolus, reportatio promissionis. Laborat igitur argumentum fallaciâ plurimum interrogationum.

## CLXXII.

Secundus locus est ex 1. Tim. 2. *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Hinc concludit: ergo perseverantia non solum in fide, sed & in dilectione, sanctificatione & sobrietate, est necessaria ad salutem, ut conditio quædam, sine qua mulier salvari non potest.

## CLXXIII.

Verum in hac collectione est fallacia caussarum: non enim hic agitur de caussis salutis, sed de qualitatibus mulierum piarum & æternæ salutis hæredum, tales sunt, quæ non solum in fide, sed & in dilectione, sanctificatione & sobrietate permanserint. Non enim tribuitur his virtutibus æternæ salutis consecutio, sed ex illis est candidatorum salutis agnitio.

## CLXXIV.

Tertium locum adducit ex Phil. 2, 12. *cum timore et tremore salutem operamini.* Profectò, inquit, si actiones bonæ salutem operantur, non sunt necessaria solim ratione præsentia, sed etiam ratione efficiencia.

## CLXXV.

Sed est ambiguitas in phrasi, *operari salutem.* Primum enim est opus Evangelicum, fides nimirum, quæ salutem operatur, quando meritum Christi apprehendit, & salutem æternam in Christo impetrat. Deinde sunt exercitia fidei per opera charitatis, in quibus laborare vult Apostolus Philippenses, & cavere, ne fidem & bonam conscientiam amittant, quæ amissâ naufragium salutis fieri necesse est. Nulla hic necessitas efficiencia est. Nam salus & justitia nostra ex alio efficiente oritur, ex gratiâ nimirum misericordiæq; DEI, studium verò pietatis assiduum est nota eorum, quibus salus & justitia manet incorrupta,

176. Quar.

CLXXVI.

Quarto & quinto loco affert dicta, quibus adseritur, pœnitentiam operari salutem 2. Cor. 7. & levem tribulationem operari æternum pondus gloriæ 2. Cor. 4. Unde infert, pœnitentiam & patientiam in ærumnis ad efficiendam salutem esse necessariam.

CLXXVII.

Sed in priori loco salus pœnitentiæ adscribitur, non respectu prioris partis, contritionis nimirum, hunc enim præclarum effectum scriptura soli contritioni Christi adscribit Esa. 53. attritus est propter scelera nostra: Sed respectu potioris & posterioris, quæ contritionem sequitur, fidei nimirum. Ea parit salutem non promerendo eam, sed convertendo se ad thronum misericordiæ Dei, & apprehendendo Christum, qui pretioso suo sanguine eam jam pridem acquisivit.

CLXXVIII.

In posteriori loco vox κατεργάζεσθαι ambigua est: non enim notat causam efficientem, seu meritoriam æternæ gloriæ: quid enim mereatur tribulatio præsentis seculi patientissimè etiam exantlata, cum ne quidem omnes nostræ passiones dignæ sint ad futuram gloriam Rom. 8, 18? Sed notat ordinem, quo Deus suos ad salutem adducere decrevit, nimirum per tribulationes & ærumnas multas, quæ pijs non ad perniciem, sed ad salutem sunt cessuræ, si patienter perseveraverint.

CLXXIX.

Ita sudores, labores ac molestiæ multæ studioso adolescenti dicuntur singularem parere eruditionem; nemo tamen tam bardus est, qui labores & molestias illas causam efficientem eruditionis nominet, quàm sciat, Deo ac præceptoribus esse acceptam ferendam: sed ordo saltem notatur, quo adolescenti emergendum, & ad fastigium præclaræ eruditionis adsurgendum est.

CLXXX.

Sextum testimonium affert Bellarminus ex Rom. 8. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis; vivetis. Unde infert: Si secundum carnem vivere est vera causa mortis, mortificatio erit vera

*vera causa vite & salutis: sed prius verum est ex precedentibus in eodem versu: si secundum carnem vixeritis, moriemini. Ergo & posterius, & per consequens, mortificatio carnis est necessaria ad salutem, ut conditio & causa.*

### CLXXXI.

*Resp. est in argumento fallacia oppositorum. Nam secundum carnem vivere, & facta carnis mortificare non paribus gradibus opponuntur. Qui secundum carnem vivunt, ex se ipso hoc faciunt, & perfecte peccant: (nam qui in uno peccaverit, omnium est reus, Jac. 2.) sed qui facta carnis mortificant, faciunt ductu Spiritus Sancti, & quidem valde languide ac imperfecte, ita ut inter mortificationem carnis & vitam æternam nulla sit proportio: cum tamen inter minimum opus carnis & æternam damnationem jam sit proportio, quia impingit illud in infinitam Dei justitiam, juxta quam maledictus est, qui non servat omnia, quæ scripta sunt in lege Deut. 27.*

### CLXXXII.

*Propter illam disparitatem sequitur, quod secundum carnem vivere sit quidem necessaria causa mortis; non autem mortificatio carnis necessaria causa efficiens vitæ. Sed commendavit nobis Apostolus Paulus exercitia pietatis, ne languescat fides in nobis aut planè amittatur, si carnalibus desiderijs nimis indulgeamus. Fidem enim operibus bonis augeri & pinguescere, cum Luthero libenter affirmamus, illis autem deficientibus, & fidem & salutem interire necesse est.*

### CLXXXIII.

*Septimus locus affertur ex eodem cap. ad Rom. v. 18. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur, existimo quod non sunt condignæ passionēs hujus temporis ad futuram gloriam. Dicitur hoc geminam probationem Bellarmino suppeditare cogitur. 1. ait, conditionalis particula indicat causam 2. & ratio addita de excessu gloriæ ad passionem declarat, esse aliquam vim in opere patientiæ ad acquirendam illam gloriam, licet longè major sit futura ista gloriæ, quàm præsens tribulatio.*

## CLXXXIV.

Ad 1. dico. conditionalis non indicat causam, sed ordinem. Non enim docere vult Apostolus, ex quo principio sit illa filiorum DEI gloria, de eo enim paulò antè dixerat, esse eam ex hereditate DEI, quæ gratuito nobis contingit, esse eam donum DEI, Rom. cap. 6, 23. Sed quo ordine DEUS nos ad illam gloriam velit evehere, nimirum per passiones multas: quemadmodum Christus, cui nos conformes facit v. 28. per passionem ingressus est in gloriam suam Luc. 24. & tamen malè concluderetur, passionem ejus esse causam efficientem subsequenti istius gloriæ: quod tamen alibi Bellarminus noster satis ἀπαιδεύτως & ἀσεβῶς concludere non dubitavit, lib. 5. de Christo cap. 9.

## CLXXXV.

Ad 2. non hoc saltem dicit Apostolus, gloriam futuri seculi excedere passiones nostras, sed has ne quidem condignas esse ad illam, hoc est, nullam esse proportionem inter ista duo, qualem cerè oportet esse inter efficientem & effectum, inter meritum & laborem: & sic omninò evertitur hæresis Papistica de meritis operū ex hoc Pauli loco. Nam quod nullā habet proportionem ad effectum, id non est necessarium ad producendum effectum: tribulatio sanctorum nullam habet proportionem ad gloriam futuri seculi, dicente Paulo nostro. Ergo non est necessaria ad consequendam illam gloriam.

## CLXXXVI.

Octavum testimonium petit ex cap. 10. ad Rom. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*: unde infert, fidem non sufficere ad salutem, quæ vera & integra esse non potest, nisi accesserit etiam externa confessio.

## CLXXXVII.

Nos verò libenter largimur, fidem integram non esse absq; confessione externā: vitiosa autem consequentia est: ergò confessio oris necessaria est ad salutem. Necessaria quidem est ad cōtestandum fidem, non autem ad consequendum, aut promerendum salutem, quemadmodum ineptè concludit Bellarminus.

## CLXXXIIX.

Phrasin Apostoli quod attinet, observarunt Nostri in ea Hebraismum, confessio fit ad salutem, hoc est, confessio salutis fit ore, & sic describitur fides ab effectis: ea enim exerit se per apertam & non fucatam confessionem oris: neque enim fieri potest, ut iustitiam cordis retineant, qui, ut securitati suæ consulant, fidem profiteri nolunt.

## CLXXXIX.

Nonum testimonium depromit Bellarminus ex actu judiciali, in quo Christus in novissimo die ita alloquetur justos: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedisti mihi manducare &c.* Ad quæ verba addit Jesuita: *Certè addita ratio luculenter ostendit, bona opera esse aliquo modo causam æternæ salutis.*

## CXC.

At verò *λίαν μέγα αἴτημα*, quod Jesuitæ probandum incumbit. Non enim instruet Christus in novissimo iudicio de causis æternæ salutis differere: hoc jam pridem auditoribus suis inculcaverat: sed in isto visibili iudicio, voluit notas eorum, qui vitam æternam erant hæreditaturi, publicè proferre, quæ in omnium hominum oculos incurrerent, qualia erant opera illa misericordiæ, quæ longo ordine recenset.

## CXCI.

Est igitur in allegato loco, particula, ENIM, non causalis sed ratiocinativa, qua non causa vitæ æternæ notatur, sed qualitas eorum, qui eam consequuntur, describitur: quemadmodum usurpatur in illo Pauli: *in pluribus non approbavit Deus, prostrati enim sunt in deserto 1. Cor. 10.* ubi prostratio non est causa, cur DEO non placuerunt, sed nota eorum, quos DEUS non approbavit. Ita opera misericordiæ erunt in novissimo die non causa vitæ æternæ (ea enim debetur benedictis & hæredibus, quibus ante constitutionem mundi parata est) sed nota eorum, quibus DEUS ab æterno vitam æternam apparavit, quam & suo tempore possidendam dedit.

192. Postre-

*Postremum testimonium petit Bellarminus ex cap. 1. Jacobi, ubi inter cætera scriptum est, factor operis beatus erit in facto suo: at quomodo quæso beatus in facto suo, si facta nullam habent relationem ad beatitudinem: & quod 2. cap. dicitur, si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare eum? &c.*

## CXCIII.

At verò in utroque loco nihil aliud habetur, quàm quod facta testentur de fide & vera beatitudine, & sic relationem habent, non ad beatitudinem hominis, tanquam causa necessaria ad suum effectum, sed ad hominem beatum, tanquam adjunctum ad suum subjectum.

## CXCIV.

Duplex enim fidei *ἐνέργεια* est, una respiciens DEUM in negotio salutis; altera proximum, in negotio caritatis. Illa quæ Deum respicit, non necessarium habet adiutorium bonorum operum, nullum enim aliud *ὄργανον* est apprehensivum gratiæ Dei & meriti Christi, quàm fides ipsa: Sed quæ proximum respicit, per opera bona sese exerit, quæ de fide & animo fideli testimonium ferunt. Et hæc de classe tertia argumentorum Bellarminianorum: sequuntur nunc levioris armaturæ milites.

## CXC V.

Nam in QUARTA classe producit traditionem Ecclesiasticam, hoc est, testimonia Patrum dicentium 1. hanc ipsam hæresin, quæ negat operum necessitatem ad Salutem, patronos habuisse perditissimos hæreticos, inter quos nominat Simonem Magum & Eunomium corpore & mente leprosum,

## CXC VI.

Sed quid nugatur impostor noster? Hæretici illi profligatissimi negabant necessitatem bonorum operum simpliciter, & ut Theodoretus de secta Simonis Magi scribit, *se audacter omni libidini & intemperantiæ dedebant, & omni incantationum & prestigiærum genere utebantur, &c.* Et Augustinus de Eunomio; quod asseravit, *nihil cuiquam obesse quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum.*

*Ad cap. 8.  
Bellarmin.*

*peccatorum.*

peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. Nos verò negamus necessitatem operum AD SALUTEM: aliàs necessariò studium bonorum operum urgemus, ob causas alias, de quibus supra.

CXCVII.

Deinde dicta patrum in specie congerit: in quorum ne uno quidem phrasis illa, pro qua pugnat, reperitur: *Bona opera sunt necessaria ad salutem*: Sed necessitatem operum ad declarandam fidem & justificationem nobiscum urgent omnes. Certè enim non sufficit dicere, Domine, Domine, sed qui voluntatem Patris faciunt, hos agnoscet Dominus in novissimo die Matth. 7. Idcirco qui totum se transfert ad præsumptionem misericordiæ DEI, & hoc ipso quod credit se à DEO liberandum, & peccata sua propter fidem non imputanda, existimat sibi jam omnia esse salva; utiq; is non est Lutheranus homo, ut Bellarminus calumniatur, sed Epicuri de grege porcus, cui nihil commercij est cum nostris Ecclesijs.

CXCVIII.

Quod si quid impensius dicunt S. Patres de bonis operibus, etq; fidei adjungunt, meminerimus, ipsos id ad exemplum D. Jacobi facere, non in foro justificationis, sed declarationis justitiæ jam antè acceptæ coram hominibus. Sæpè etiam non in disputationibus cum adversarijs, ubi accuratius loquendum est, sed in exhortationibus ad populum versati sunt, ubi cum viderent bonorum operum studium apud plerosque frigescere, vehementer urserunt fidei & bonorum operum cohærentiam, non quasi statuerint, utraq; ad eundem salutis & vitæ æternæ effectum perducendum concurrere (sciverunt enim, ea quæ simul sunt, non semper simul operari) sed ut fidem absq; bonis operibus mortuam, & cessantibus bonorum operum exercitijs, naufragium fidei & salutis præsentissimum ostenderent.

CXCIX.

Aliàs notum est, quomodo S. Patres in certaminibus cum adversarijs urserint in negotio justificationis nostræ solam gratiam  
Dei,



Dei, ut causam efficientem; solum Christum, ut causam merito-  
riam; solam fidem, ut causam instrumentalem justificationis ac sa-  
lutaris nostrae, repositis bonis operibus inter effectus justificationis  
& notas justificatorum.

CC.

Nam ut nihil dicam de tritissimo illo Augustini: bona ope-  
ra non praecedunt justificandum sed sequuntur justificatum; *de fide  
& bonis operibus cap. 14.* ut nec de illo altero: Non justificatur homo  
praecipis bonae vitae, nisi per fidem Jesu Christi, *lib. de spir. & lit.  
cap. 13.* notum est alioquin dictum Ambrosij in Augustana Confes-  
sione allegatum art. 6. ex comment. in 1. Cor. 1. Hoc constitutum est a  
Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens  
remissionem peccatorum.

CCI.

Idem Ambros. in illa Verba Pauli cap. 3. Rom. justificati gra-  
tis per gratiam ipsius: *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes neque vi-  
cem reddentes, sed sola fide justificati sunt dono Dei.* Et in illa verba cap. 4.  
credenti in eum, qui justificat impium, &c. ita commentatur: Quo-  
modo ergo Iudei per opera legis justificari se putant justificatione Abrahae, cum  
videant Abraham non ex operibus legis, sed sola fide justificatum?

Tom. 4.  
fol. 778.

Fol. 780.

CCII.

Origenes in cap. 3. Rom. in illa verba Pauli: Arbitramur ju-  
stificari hominem per fidem, &c. sic scribit: *Dicit sufficere solius fidei  
justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil  
ab eo operis fuerit expletum.* Et ibidem loco exempli eorum, qui sine  
operibus justificati sunt sola fide, adducit latronem in cruce; de quo  
scribit: *per fidem justificatus est hic latro sine operibus legis: & idem postea  
reperit de muliere peccatrice Luc. 7.* Et tandem concludit: *Igitur ut  
ad propositum redeamus, justificatur homo per fidem, cui ad justificandum nihil  
conferunt opera legis.*

Tom. 3.  
fol. 157.

CCIII.

Similia testimonia ex Augustino adducere possem, ex Hilario,  
Chryostomo aliisque patribus, si necessitas postularet; sed quia hoc  
ab aliis factum, & tempus ut actum agam, prohibet: ista jam suffi-  
cient.

G

CCIV. Re.

## CCIV.

Ad cap. 9.  
Bellarmini.  
ni.

Restat **POSTREMA** classis probationum Bellarmini, in qua unicum producit argumentum hunc in modum:

*Si fides sola salvaret, & opera non essent necessaria, nisi ratione presentia, & ut fructus & signa fidei, sequeretur fidem salvare posse, etiamsi careret omni bono opere, & conjuncta esset cum omnibus vitij & peccatis.*

*Hoc autem consequens est manifestè falsum.*

*Ergo necessaria sunt bona opera ratione alicujus efficientia.*

## CCV.

*Respondeo.* Procedit argumentum ex falsis hypothefibus, quasi ea, quæ simul sunt, simul etiam operentur. Docemus enim, fidem justificantem nunquam esse absq; bonis operibus, & nequaquam ejusmodi fidem agnoscimus, quæ esse possit in animo multis peccatis conscientiam vastantibus polluto. Non autem sequitur: ergo bona opera sunt ratione efficientiæ necessaria ad salutem. Nam ne quidem fides sub tali ratione necessaria est; non enim efficit, sed apprehendit salutem.

## CCVI.

Et licet tale quid de fide dici posset, quatenus causa instrumentalitatis in ordinem efficientium refertur: tamen idem de bonis operibus, quæ fidei conjuncta sunt, dicere non licet, quia aliter considerari non possunt, quam fructus & effectus fidei, siquidem alia opera Deo grata esse non possunt, quam quæ ex fide profecta.

## CCVII.

Ita multa simul sunt, quæ tamen non eundem effectum producunt. Pater & Filius unum sunt Joh. 10. nec tamen sequitur, patiente filio, pati & Patrem: facultates animæ simul sunt, nec tamen sequitur, id quod agit ratio; etiam agere appetitum: Calor & color in igne simul sunt, nec tamen sequitur, colorem calefacere, vel calorem colorare: & talia exempla in natura sunt infinita.

## CCVIII.

Ridiculum autem est, quod Bellarminus contendit, posse fidem & re & ratione à bonis operibus separari. Quod si ita est, cur a libi dicit, *fidem à caritate informari*, lib. 2. de justif. cap. 4. sublata ve-

rò for.

rò forma tollitur res ipsa : cur item ipse docet, actum spei, timoris, pœnitentiæ, dilectionis, cum fide in justificatione semper esse conjunctum lib. 1. de justif. cap. 3. & 19. quæ verò semper juncta sunt, quomodo separari possunt?

CCIX.

*Ratione, inquit, separari possunt, sicut cætera qualitates omnes ab igne, manente solo calore, quo calefacit. Atqui ejusmodi ignis, qui qualitatibus corporis Physici destituitur, revera non existit extra mentem, nec verò in mente calefacit: ita neq; fides, quatenus sola & ab operibus sejuncta est, justificat: talis enim fides nihil, vel ut Jacobus loquitur, mortua est. Proinde fidem absq; justificantè operibus bonis dicere, est revera corpus absq; spiritu dicere. Figmentum ergò est Bellarmini, quod fides, dum sola justificare dicitur, propterea absq; bonis operibus vacua, vel etiam cum vitiis & peccatis conjuncta esse statuatur.*

CCX.

Sed hæc de prima quæstione Tractatus Bellarminiani sufficient, ubi ea, quæ de Necessitate Bonorum operum disputat, examinavimus: de cæteris alio tempore, si Dominus voluerit: cui sit honor & gloria seculis infinitis, Amen.

FINIS.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side.

Third block of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side.

FINIS



Coll. chess, A 143, 46